

Caspar Mauritius Adam Friedrich Fischbach von

De Sanctissimo Coenae Dominicae Misterio Contra Calvinianos Exercitatio

Rostochi[i]: Kilius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740001973>


Druck Freier  Zugang



R. U. Neol. 1653.

Münchius, Caspar / 6

Vest.: Finkbach, Adam Friedr. v.



DE
SANCTISSIMO
COENÆ DOMINICÆ
MISTERIO
CONTRA CALVINIANOS
EXERCITATIO

Quam

DEO Opt. Max. Directore
*Consensu Venerabilis Facultatis Theologicae in
Academia Rostochensi*

PRÆSIDE

CASPARO MAURITIO,
S. S. Theol. D. P. P. & Eccles.

Publicè ventilandam offert

ADAMUS FRIDERICUS von
Fischbach/ Rig. Liv.

Habebitur ad d. 6. Julij in Auditoriò Majori.




ROSTOCHI,
Typis NICOLAI KILLII, Acad. Typogr.
Anno clc lxx LIII.

1653

2 A
COLLEGE DOMINICAN
CONTR. CARVINIANOS
BY

DEU. Ope. Max. B. d. f. o. r. e.
Compt. N. e. a. b. l. f. o. o. k. i. n. g. i. t. t. h. e. g. r. a. m.

CASPARO. A. A. R. T. I. O.
s. s. t. h. o. l. d. B. R. I. C. K. E.
ADAMIT. F. A. S. T. I. O. U. S. T. O. N.
H. A. B. I. T. A. T. I. O. N. I. S. S. I. M. I. L. I. T. A. T. I. O. N. I. S.



ROSTOCK
THE NICOLAI KIRCH. AM. 1700
e. s. t. a. b. l. i. s. h. e. d.



DEO DUCE!



Acturi nunc sumus de Sacra Coena, sanctissima illa unionis spiritualis tessera, quæ hodie, prohdolor, materia facta est litium infinitarum. Cum Pontificiis nunc res nobis non erit, qui decreta recentis ejusdemq; contaminatissimæ Ecclesiæ stolidi adorant. Calvinianorum acumen examinabimus, quod temerario ausu pestilentissimoq; exemplo inferunt in admirabile hoc arcanum. Tu, Deus, annue cœpto!

THESIS PRIMA.

Verba hæc: Edite, hoc est corpus meum, pro vobis traditum, bibite, hoc est Sanguis meus, pro vobis effusus, proprie, literaliter adeoq; τὸ πῆνν sunt accipienda.

§. I.



Um gemina sit ratio interpretandi loca Scripturæ, altera τὸ πῆνν, sive proprie & ad literam, altera τὸ τροπικὸν sive improprie & figuratè, prima quæstio Orthodoxos inter & Calvinianos exurgit hæc: *An verba Institutionis modo recitata potissimum ista, Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus, sint priori an vero posteriori modo interpretanda.* Nos priorem sequimur rationem: Calviniani posteriorem. Sed hic mira sententiarum varietas. Sunt, qui in Copula est cum Zwinglio tropum collocant: sunt qui cum Oecolampadio in prædicato corpus, sanguis, tropum fovent & explicant per signum corporis, sanguinis: sunt deniq; qui contendunt, neq; in subjecto, neq; in prædicato tropum esse, esse tamen propositionem Metonymicam. Postremos hosce ut nimium absurdos & falsos dimittamus. Nullus quippe Rhetor ad eum modum propositionem tropicam nobis descripsit. Falsitatem cumulant, cum dicunt, duplicem esse Metonymiam, aliam apud Grammaticos, aliam apud Rhetores. Quis talia portenta unquam fando audivit? Rectè Leideneses Disp. XLV. thes. 65.

A

de

de opinione Crellii, figuratam propositionem Logicam Rhetoricæ opponens, atq; illam toto enunciato, hanc voce definiens judicant his verbis: *Cum Logica mentis & interna rationis, non sermonis sit, ejus figurata p[er] edicatio nulla est, sed figura Rhetoricæ elocutionis tantum. Et quamvis ejus causa ab attributione est, sedes tamen in parte aliqua & certa est.* Hæc Leidenfes, qui th. 71. cum Oecolampadio collocant tropum in prædicato, putantq; has propositiones æquipollere, Panis & vinum est corpus & sanguis Domini, &: est communio corporis & sanguinis Domini, non qua panis, sed qua fideles communionem habent cum corpore Christi. Cæterum thes. 73. tropi genus esse dicunt Metonymiam signati pro signo: & esse quidem signa hujusmodi, quibus præsentia conjuncta & unita suo modo sunt (nempe Sacramentaliter, id est, realiter quidem, puta *ἁρτιως* respectivè, non autem substantialiter) res significata corpus & sanguis Domini: imo hæc signa esse quasi vehicula, instrumenta, per quæ exhibetur sive offertur omnibus, credentibus vero conferitur datur & à fidelibus sumitur ipsissimum corpus & sanguis Christi. Amel. in medull. Theolog. lib. 1. cap. 40. ponit in prædicato quintuplicem tropum. 1. Metonymiam signi pro signato 2. Metaphoram, panis est similis corpori Christi. 3. Metonymiam adjuncti, panis est adjunctum corporis Christi. 4. Synecdochen, Panis est totus Christus. 5. Metonymiam subjecti pro adjuncto, Panis est omnne Christi beneficium &c.

§. 2. Hæ sunt celebriores Calvinianorum sententiæ. Alia Troposophorum glossemata qui legere cupit, adeat Schlüsselburgium & Schröderum: quorum ille in Catalogo de Calvinian. pag. 80. triginta & unam: hic in Sceptro Regali pag. 600. seqq. viginti sex Calvinianorum glossas & depravationes Verborum Cœnæ recenset. Digna notatu sunt verba Magni Chemnitii, quæ in libello de Fundam. SS. Cœnæ pag. 30. habet: Quando, inquit, à simplici propria & nativa verborum sententia disceditur, tunc in multas varias & dissimiles interpretationes & opiniones sicut manifestum est, verba illa distrabuntur, & dum quisq; suam opinionem tuetur mens dubia & incerta relinquitur: neq; enim hæcenus inter ipsos conveniri potuit in qua voce collocandus sit tropus, quæq; & quis sit tropus, quæq; sit vera & constans verborum illorum interpretatio. Sed quot autores, tot sunt sensus. Et caillibet regi sua regina pulcherrima videtur. In tanta interpretationum & opinionum varietate, quæ potest esse fidei *ἄλγεος Ποιῆς* & sum semper restes ambigua incertitudini appendix: possunt forsitan verba illa
aliter

aliter etiam exponi atq; intelligi. Subnectit loco citato Chemnitius verba Lutheri, quibus ad ipsum Filii Dei tribunal se producturum ait hanc apologiam: *Domine Jesu Christe, nata fuit controversia & ortum certamen de verbis testamenti tui. Quidam contenderunt, verba ista aliter, quam in propria & nativa sententia sonant, intelligenda esse: sed quia inter ipsos non convenit, quis tropus & in qua voce sit collocandus, non potuerunt unicam & certam interpretationem illorum verborum constanter & consentienter ostendere: sed in multas varias & dissimiles interpretationes & opiniones distraxerunt verba testamenti tui, non potui itaq; nec volui fidem meam in hac tam gravi controversia committere incertis illi variis & dissentientibus interpretationum & opinionum fluctibus. Econtra vero vidi, si verba accipiantur, sicut sonant, in simplici propria & nativa sententia, tunc constanter reddi unicam & certam sententiam. Ego igitur, qui statui, te voluisse unicam & certam esse testamenti tui sententiam, in ea interpretatione acquievi, quam verba in simplici propria & nativa sententia unicam & certam reddunt & ostendunt. Si enim voluisses aliter, quam sonant verba illa, intelligi, sine dubio adjecisses claram & apertam declarationem, sicut idem fecisti in illis locis, in quibus allucinatio non est conjuncta cum tanto periculo, sicut in verbis testamenti tui. Gemina his habet CL. Calixtus Exerc. I. de Transsubstant. thes. V.*

§. 3. Lutheri ergo est sententia, quæ & nostra est, interpretanda esse verba Sacramenti *ουθεν* sive constitutiva. *Hoc est corpus meum &c.* sicut sonant in simplici propria & nativa sententia, sine figura & tropo. Nullus enim in re tantum momenti Evangelista, Apostolus vel minima quidem monitiuncula ad tropum nos ducit. Atque hæc interpretatio literalis rationi misterii, quod in Cœna mirabile est, explicandæ quam accommodatissima est. Scilicet fateatur Ecclesia Catholica cum Cypriano Cœnæ Sacramentum esse *sancta sanctorum*, cum Chryso-stomo, esse *Φεαρδν μυστηριον* hoc est, *tremendum misterium*, quod rem-
exponit sensus omnes ipsiusq; adeo rationis judicium longissimè excedens. Calvinus ipse lib. IV. Institut. cap. XVII. sect. 7. fateatur, sibi non licere ullis verbis completi tantum misterium, quod ne animo quidem, inquit, satis me comprehendere video, & libenter ideo fateor, ne quis ejus sublimitatem infantis meæ modulo metiatur. Quin potius lectores hortor, ne intra istos nimium angustos fines, mentis sensum contineant: sed multo altius assurgere contendant, quam meo ductu possint, nam ego ipse
A 2
quoties

quoties hac de re sermo est, ubi omnia dicere conatus sum, parum adhuc mihi pro eius dignitate dixisse videor. Quonquam autem cogitando animus, plus valet, quam lingua exprimendo: rei tamen magnitudine ille quoque vincitur & obruitur. Itaque nihil demum restat, nisi ut in eius mysterii admirationem prorumpam, cui nec mens plane cogitando nec lingua explicando par esse potest. Et sect. 32. Porro de modo si quis me interroget, fateri non pudebit, sublimius esse arcanum, quam ut vel meo ingenio comprehendere vel enarrari verbis queat: atque ut apertius dicam, experior magis, quam ut intelligam. Itaque veritatem Dei, in qua acquiescere tutolicer, hic sine controversia amplector. Pronunciat ille carnem suam esse animam meam cibum, sanguinem esse potum. Talibus alimentis animam illi meam pascentiam offero. In sacra sua cena iubet me sub symbolis panis & vini corpus & sanguinem suum sumere, manducare & bibere: nihil dubito, quin & ipse verò porrigat & ego recipiam. Hæc Calvinus. In quibus duo notamus. Primum est, quod evidentiâ verborum institutionis & consentiente Evangelistarum atque Pauli sententia coactus fateretur, Christum vere porrigere sub symbolis panis & vini manducandum Corpus & bibendum sanguinem suum. Est enim in verbis institutionis *accipite edite hoc est corpus meum &c.* exhibitiva propositio, cujus ea est indoles, ut exprimat id, quod alii tradimus & exhibemus. Illud vero, si plura contineantur, sive si plura conjunctim exhibeantur, voce, quam prædicari loco ponimus, id exprimimus, quod alias incognitum & sensibus minus obvium est, ut proinde indicari opus sit, quomodo tradito sacculo dicimus, hoc est aurum summa centum ducatorum. Sacculum videmus, sed quod sacculo continetur, non constat, ideo ab eo, qui porrigit, sive dat, exprimitur. De quo infra pluribus agendum. Alterum est, quod sublimius esse dicit mysterium, quam ut ingenio comprehendere vel enarrari verbis queat. Quæ verba quomodo cum tropis & figuris, quas in verbis institutionis ponunt Calviniani, conciliari queant, non videmus. Si enim tollatur τὸ ἴδιον, & figuræ substituuntur, quodnam remanebit mysterium? Nullum profecto. Omnia erunt rationi & sensibus familiaria, pervia, facile comprehensibilia. Alterum ergo dicendum, aut mysterium non esse & rationem sequendam ducem in constituendis tropis, figuris; aut mysterium esse, & captivandam rationem. Quod si enim mysteria non voluerimus admittere, nisi ratione explicari possunt, peribit omnis misteriorum ratio, peribit

peribit articulus de Trinitate, Incarnatione, Resurrectione, ut testantur
 eventa superioris seculi, quo ex Calvinianorum Schola prodeuntes
 post oppugnatum hoc misterium tentarunt quoq; articulos modo di-
 ctos Georgius Blandrata, Alciatus, Valentinus Gentilis, Franciscus Da-
 vidis, Adam Neuserus aliq; Sociniani. Neq; ad tropos in explicacione
 sacrarum literarum deveniendum, nisi id summa flagitet necessitas, ea-
 demq; vera necessitas non à ratione conficta: sic enim peribunt arti-
 culi fidei atq; spoliabuntur laude debita sancti, qui à clara litera non
 propterea sibi discedendum duxerunt, quod cum ratione pugnaret.
 Vide exemplum Abrahæ Gen. XIIX. XXII. Rom. IV. 18. seqq. Ebr.
 XI. 11. 19. Illustris est regula, quam hic inculcat Augustinus lib. 3.
 de doct. Christ. cap. 16. *Si, inquit, locutio præceptiva aut flagitium
 videtur jubere, aut utilitatem & beneficentiam vitare, figurata est.*
 Nec est, quod dicas, juberi hic *ἀρθεῖν τὸ φαρίαν*. Hanc enim Cy-
 clopicam & Capernaiticam lanienam detestamur, ut ex dicendis infra
 patebit.

§. 4. Prolixi sunt adversarii in defendenda sua sententia & refu-
 tanda nostra. Solus Wendelinus Christianæ suæ, ut vocat, Theolo-
 giæ Lib. I. cap. XXIII. tractacione hujus controversiæ paginas bene
 multas implevit, adeoq; quicquid ab aliis hujus sectæ in hac contro-
 versia Sacramentaria sive pro se sive adversum nos integris volumini-
 bus tractatum est, in compendium quoddam sed dispendiosum redigit.
 Expendamus merita causæ. Videamus, quid præstare voluerit, & ex-
 periamur, sed brevibus, quantum præstiterit. Esto hæc nunc cura no-
 stra & materia exercitii Academici. Agit Wendelinus libro & capite
 citatis thes. IIX. de sensu verborum Institutionis hoc ordine, ut pri-
 mum suam suorumq; sententiam explicet & confirmet, deinde
 nostram recitet & refutare conetur. Sequemur eum *ἢ ἴδα.*
 Primum disputat de subjecto Propositionis, *Hoc est corpus meum*, & vult
 evincere, demonstrativum *Hoc* solum significere panem. Rationes
 ejus sunt. I. *Quod Christus suis manibus de mensa solum accepit, fregit & distri-
 buit, id solum significat demonstrativum hoc. At qui solum panem Christus acce-
 pit & E. solum panem significat demonstrativum Hoc.* Respondeo Major-
 rem esse insufficientem. Verba institutionis sic jubent suppleri defe-
 ctum Majoris. Quod Christus de mensa accepit, fregit, distribuit &
 manducare atq; bibere jussit, id intelligendum per *ἢ Hoc*. Atqui non
 panem

panem solum sed & corpus accipere atq; manducare iussit, in verbis, Accipite, edite, Hoc & corpus meum. Ergo non solus panis sed & corpus denotatur per demonstrativum Hoc. II. *Paulus expresse interpretatur demonstrativum Hoc de pane, Panis est communicatio corporis Christi I. Cor. X. 16. Quod si per panem intelligendum complexum ex pane & corpore unitis, sensus verborum Christi esset, Panis cum corpore est corpus meum &c. quod absolum.* Sed diversæ propositiones Christi & Pauli. In verbis institutionis subjectum est hoc, prædicatum corpus. At in Paulo subjectum est panis, prædicatum communicatio corporis Christi. Returquemus ergo argumentum. Si panis est communicatio corporis Christi, utiq; ad Hoc non potest denotare solum panem. Ratio est. Quia si dato pane, datur etiã corpus Christi, sequitur esse aliquam inter panem & corpus unionem. Porro, Ubiq; demonstrantur res unitæ, quarum altera sensib; obvia altera in cognita est, ibi hæc (incognita & inconspicua) in prædicatione exprimitur, particula vero *δεξιπικη* (Hoc) subjecti loco posita complexivè res unitas demonstrat. Exempla obvia sunt, quæ omnia & singula stant pro nobis & veritate. Non enim aliã vim habet, nec habere potest ad Hoc, nisi velimus cum Carolo stadio dicere, esse in verbis Institutionis propositionem identicam, similem huic, Hoc est mensa, cujus sensus est, hoc, quod individuo demonstratur, est mensa. At hanc esse ejus vim in verbis institutionis negant, & recte quidem, adversarij. Repugnat enim ad id: repugnant verba: Hoc est sanguis meus Matt. XXVI. 28. Aut ergo proferant adversarij aliam analysin congruentem & consuetudine receptam, aut concedant, ad Hoc substantivè & complexivè sumi.

III. *Quod jubemur ore manducare in memoriam corporis Christi, id solum denotatur per pronomen Hoc. Atqui solum panem jubemur ore manducare in memoriam corporis Christi, ut ex Paulo liquet, jubente nos comedere panem in memoriam corporis pro nobis fracti, id est, crucifixi. Ergo solus panis denotatur per pronomen Hoc.* Majoris vis nulla est. Posito enim, iustos nos manducare panem in memoriam corporis Christi pro nobis crucifixi, non sequitur, non potuisse simul mandari ipsam corporis Christi manducationem. Quod si vero mandatur ipsa corporis Christi manducatio, ut omnino mandatur, manifestum est ad Hoc non solum panem denotare. Minor nusquam vel in Evangelistis vel in Paulo apparet. In Evangelistis enim non dicitur: Hoc facite in corporis mei commemorationem, sed, hoc facite in mei, hoc est, crucifixionis & passionis meæ memoriam, annunciate mortem Domini, quæ est interpretatio Pauli.

Ex

Ex Paulo liquidum est, confundi à Wendelino distinctas propositiones, *Edite hoc est corpus meum pro vobis fractum* sive crucifixum, & *Hoc facite in mei commemorationem*. Ubi hic illa Wendeliniana, solum panem jubemur edere in memoriam corporis Christi? IV. *Quod significatur per pronomem Hoc est Symbolum & Sacramentum corporis Christi. Aque solus panis est Symbolum corporis Christi. Ergo solus panis intelligitur per pronomem Hoc*. In his etiam formæ bonitatem desideramus. Non enim licet sub Majore absoluta minorem formare exponibilem exclusivam, salva forma. Nec valet: Omne rationale est sentiens, solus homo est rationalis, Ergo solus homo est sentiens. Dices: ideo non valere, quia Minor virtute negans est in prima figura, Wendelinum autem argumentari in secunda. Respondeo, etiam Wendelini Syllogismum in prima figura esse & mentiri secundam. Majoris enim termini transpositi sunt, ut in illo: Omne id est sentiens, quod est rationale. Si hic subsumas: Solus homo est rationalis, vitiosa erit collectio. Præterea Major est falsa. Nullus apex ex Evangelistis, nullus ex Paulo produci potest, quo solidè illa firmetur. Interim, quod attinet Minorem, facillè concedimus panem esse symbolum corporis Christi, sicut Veterum quoq; non nulli dixerunt, panem esse signum & figuram corporis, attendentes similitudinem inter corpus & panem, qui suo quodam modo cœlestem nutriendi virtutem corpori Dominico insitam figurare aptus est. Si enim queratur, cur Christus adhibuerit in sacra cœna panem & vinum, respondent Theologi, id factum esse, tum ut typi Cœnæ sacræ impleverentur, verbi gratia Manna Joh. VI. 31. 32. I. Cor. X. 3. 4. tum propter ἀναλογίαν illam, quæ est inter panem & corpus Christi, & vinum atq; sanguinem Christi. Sicut enim panis e multis granis conficitur, coquitur & nutrit: ita corpus Christi in cruce velut coctum nutrit nos ad vitam æternam, efficitq; ut quotquot de pane illo participamus, unum corpus simus I. Cor. X. 17. Et sicut vino sitis extinguitur, cor exhilaratur, ita sanguine Christi restinguitur sitis spiritualis, reficitur homo &c. Interim nec nos nec Veteres à Cœna Dominica abesse corpus & sanguinem dicimus, de quo pluribus infra. Quod attinet Augustini verba, quæ extant Tom. VI. p. 157. edit. Basil. contra Adimant. cap. 12. ubi ait, *non dubitavit Dominus dicere, hoc est corpus meum, cum daret signum corporis, non ille loquitur de signo separato, sed conjuncto. Ut enim*

sanguis

sanguis est signum animæ, sic panem signum ait dici corporis Christi. Loquitur ergo de signo *ἰδιαισάτω* & conjunctissimo. De Luthero non est, quod dicamus. Manifesta ejus est circa hoc punctum sententia. Fateretur ille τῶ Hoc panem indigitari, sed non solum. Idem nos facimus. Quod attinet Authorem orthodoxi consensu, opus ille suum mole, haud exiguum perpetua ignoratione Elenchi complevit, dum ubiq; disputat adversum modum præsentia Christi in cæna & manducationis physicum, quem pariter cum Calvinianis detrahatur.

§. 5. Sic confirmare sua voluit Wendelinus, jam respondet ad nostra. Primo dicimus, si Christus per τῶ voluisset intelligere panem, utiq; dixisset, hic panis non hoc. Excipit Wendelinus. 1. *tritam esse loquendi consuetudinem, quæ per demonstrativum hoc indigitat illud, cujus antea facta mentio est.* 2. *retorquet argumentum nostrum: si Christus voluisset dicere, quod nos intelligimus, clarius dixisset hoc complexum.* Si tritam loquendi consuetudinem sequamur, aliter intelligi τὸ τῶ quam *συμπεπλεγμένως* sive complexivè nequit. Aut enim efficit τὸ hoc propositionem identicam, aut capitur complexivè. Tertium non datur. Sed identicam propositionem juxta nobiscum rejiciunt Calviniani. Quare reliquum est, ut capiatur complexivè. Neq; id indicari aut exprimi necessum fuit. Non enim, cum porrecto alabastro dico, hoc est unguentum preciosissimum, opus est addere, hoc complexum. Nulla enim hic obscuritas. Et quid hoc esset dicere, hoc complexum est corpus meum? Non enim panis & corpus est corpus Christi. Eadem ratio est exemplorum sacrorum: Hic est Filius meus (de homine) hoc est Spiritus Sanctus (de columba) Hic est Angelus (de Viro Jud. XIII. 6. 13.) In his exemplis est in subjecto complexio, pariens conceptum, confusum, qui tamen mox cogitur distincto conceptui cedere, quem gignit prædicatum. II. Si Christus voluisset voce τῶ indigitare solum panem, utiq; non dixisset τῶ sed ἔστ. Excipit Wendelinus *provocando iterum ad consuetudinem, quæ sæpè pro masculino vel feminino usurpat Hoc, verbi gratia; Quid hoc est?* Sed non est verisimile, si τῶ esset positum loco ἔστ, id à nullo Evangelistarum fuisse monitum & clarius expressum. Adde, sic fieri debere propositioem identicam. Ubi enim τὸ Hoc rem unam demonstrat, ibi propositioem necessario est identica, nec aliud exprimitur in prædicato, quam fuit expressum in subjecto. Et hoc

Et hoc tam firmo innititur fundamento, ut nulla *ἐνστάσις* hæc univerſalitas labefieri poſſit. Manet ergo, τὸ Hoc complexivè capiendum, III. Si τὸ τῷ solum ſignificat panem, utiq; in poſteriori parte Cœnæ τὸ τῷ ſignificabit ſolum vinum, cui tamen contradicit Lucas, dum addit, illud τῷ eſſe effuſum in remiſſionem peccatorum. Excipit Wend. illud *ἐκχυρόμενον* referendum eſſe ad αἶμα, quod præceſſit, vel, ſi referendum ad πρῆλον intelligendum eſſe ſacramentaliter, quomodo de ſymbolis affirmatur res ſignata, de pane corpus, de vino ſanguinem. Beza putat eſſe *πλοικωφάνης* in verbis Lucæ, ſed repugnant Heiſius & Dieu, qui notant ex lingvæ Ebrææ indole id dictum eſſe, ac ſi dixiſſet Lucas: *ἐν τῷ ἀματό με (ὁ εἶν) ἐκχυρόμενον*. Et fatemur, calicem hic dici effuſum in remiſſionem peccatorum, non reſpectu ſui, multo minus reſpectu vini, ſed reſpectu ſanguinis Chriſti, quem continet. Ubi nota, minime id dici poſuiſſe, ſi tantum figura & ſymbolum ſanguinis Chriſti contineatur. Sic enim calix veteris Teſtamenti continens ſanguinem hircorum, qui longe expreſſius & luculentius ſymbolum fuit ſanguinis Chriſti, meliori jure dicendus eſſet calix N. Teſt. Et hoc arg. eſt contra figuras & tropoſ Calvinianorum ſolidiſſimum. Manet ergo vis argumenti. Quomodo τὸ τῷ accipitur in poſteriori parte cœnæ, ſic etiam capitur in priorè. At in poſteriorè ſic capitur, ut non denotet ſolum vinum; hoc enim non eſt cauſa & fundamentum Novi Teſtam. Ergo. Quod de ſacramentali ſymbolorum de rebus ſignatis prædicatione dicitur, omni caret fundamento & exemplo. IV. Ubi cunq; ponitur τὸ Hoc neutraliter, ibi complexivè ſignificat. Excipit Wendelinus hoc falſum eſſe. Addat ergo in Majorè: ubi τὸ Hoc ponitur ſubſtantivè, ibi vel complexivè capitur, vel efficit propoſitionem identicam. Eligat nunc utrum volet. Si poſterius, Calvino deſerto Carolſtadium ſequetur. V. Triticiffima eſt loquendi ratio, ut, cum duo conjuncta porriguntur, ſubjecti loco ponatur totum complexum. Excipit Wendelinus, Lutheri hanc eſſe argumentationem ſed nullam ejus eſſe conſequentiam, niſi prius probetur, Chriſtum non ſolum panem fregiſſe & manducandum præbuiſſe, ſed etiam cum pane corpus ſuum, quod tum menſe aſidebat. Verum pro Luthero ſtat evidentia verborum institutionis & inductio omnium exemplorum. Cæterum diſtingvendi ſunt actus præparatorii ab actibus ſubſtantialibus Cœnæ. Solum panem accepit, fregit, & ſic præparavit, at una cum pane accipi & manducari juſſit corpus

pus suum. VI. Id denotatur particula Hoc quod Christus accepit, fregit & iussit edere. Arqui non solum panem verum etiam corpus iussit comedere Ergo. Respondet Wendelinus *limitando Majorem* : *Quod insit edere oraliter, corporaliter & proprie &c. Et sic negat Minorem. Christum enim non iussisse edere corpus suum proprie sed improprie.* Si autem quæras ex Wendelino, quando ergo & ubi Christus jubeat corpus suum edi improprie, respondet, *id fieri implicite in verbo edite, explicite in verbis, hoc facite in mei memoriam.* At hæc responsio in verbis institutionis non est fundata, sed iisdem repugnat, contravenit Catholicæ illi Regulæ interpretationis scripturarum: Vox una semel posita & qua literas & qua sensum non potest sustinere duos diversos significatus. Atqui vox edere semel posita, Ergo non potest sustinere duos diversos significatus. Adeoq; proprie corporaliter & oraliter editur non tantum panis, verum etiam corpus, quod attinet instrumentum edendi, interim comeditur corpus non modo proprio & physico, sed modo mystico & sacramentali, non immediate, sed mediante pane benedicto. Quare etiam si addatur limitatio Wendelini, erit tamen adhuc vera Minor, quod Christus edere iussit corpus suum proprie, qua rem, non qua modum rei, ut dictum. Neg; ullum præsidium Wendelino est in ultimis Institutionis verbis. Aliud enim est: edite corpus meum: aliud: hoc facite in mei memoriam. Prius rem concernit, posterius finem. Deniq; si implicite in verbo edite Christus jubet corpus suum edi improprie, fide nimirum, siq; soli fideles corporis Christi participes sunt, utiq; Judæ infideli verè dicere non potuisset: Ede, hoc est corpus meum. Nec verè Marcus: *Et biberunt omnes.*

§. 6. Progreditur Wendelinus ad prædicatum propositionis Sacramentalis, & rectè statuit intelligi corpus proprie dictum. Atque hac in parte ab aliis ejusdem sectæ, quarum verba §. 1. allegata sunt, dissentit. Et merito quidem. Expositio enim illa, quæ in prædicato corpus, sanguis, fingit tropum, repugnat τῷ ἰησοῦ, & naturæ propositionum exhibitivarum, quarum fundamentum est unio rerum præsentium. Quanquam enim hedera sit signum vendibilis vini, nemo tamen unquam tradendo hederam dixit, accipe, hoc est vinum. Deinde repugnat naturali & legitimo figuratè loquendi modo. Si enim id, quod Calviniani intendunt, dicere Christus voluisset, utiq; non dixisset. Hoc est corpus meum, seu panis est corpus meum, sed contra: corpus meum est

est panis sive cœlestis cibus, & sanguis meus est vinum sive potus spiri-
 tualis. Sic enim ipse quoq; Christus solet hos terminos locare v. g.
 Joh. VI. 35. 55. *Caro mea est cibus, non contra. Illud enim, in quo pro-*
prietas, quam exprimere volumus, est magis clara, prædicari debet de
eo, in quo minus est clara, v. g. virum fortem expressuri dicimus: Hic
homo est Leo, non autem, hic leo est homo &c. Hæc enim
est natura prædicationis ordinatæ, ut prædicetur terminus connotati-
vus, sive, qui stat loco connotativi de absoluto, non contra. Tertio
repugnat hæc expositio oppositorum naturæ, quæ hæc est, ut non pos-
sint de se prædicari in casu recto. Unde consequitur, nullum relatum
de altero dici posse in casu recto sive propriè sive figuratè. Quare nec
signata de signis (inter hæc enim esse quandam $\chi\epsilon\iota\sigma\iota\nu$ ipsi latentur ad-
versarii) puta corpus de pane, sanguis de vino prædicari possunt. Nec
ulla idonea probatorum virorum exempla possunt proferri, qui ejus-
modi enunciationes construxerint. Quanquam enim v. g. Toga ut
signum pacis sæpè usurpatur pro pace, non tamen integram enuntia-
tionem efficiendo dicere possum, Toga est pax. Et sic in aliis. Quarto
repugnat hæc expositio determinationi Christi & Pauli. Christi de-
terminatio hæc est: corpus, quod pro nobis traditur, sanguis, qui pro
vobis effunditur. Hic tò quod & qui ostendit idem corpus exhiberi in
cœna, quod traditum est in cruce. Neq; enim geminum corpus habet
Christus, sed unum tantum. Cœterum non debet tò quod exponi per
quale, vel quatenus. Neq; enim saltum licet facere de prædicamento
in prædicamentum, de substantia in qualitatem. Neq; in his verbis
mandati, quibus docemur, quid edere debeamus, modus percipiendû
corpus Christi describitur, sed inculcatur veritas rerum percipienda-
rum, quanquam haud inviti concedamus, non modo nobis exhiberi
substantiam corporis Christi, sed ejusdem efficaciam. Benè Beza
Oper. Volum. III. pag. 204. Epist. V. ad Alamannum: Certè corporis &
sanguinis nomina nimis absurdum foret de fructu & efficacia mortis Domini
interpretari, vel ad solum ipsum spirituale institutum restringere quod ut
quam plenissimè intelligatur, age pro his vocibus, corpus & sanguis, substi-
tuamus illam interpretationem & dicamus: Hoc est efficacia mortis meæ, que
pro vobis traditur, & hoc est spiritus meus, qui pro vobis effunditur. Quid
ineptius est hac oratione? Nam certè verba illa, quod pro vobis traditur, &
qui pro vobis effunditur, necessario huc te adigunt, ut de ipsamet corporis &

sanguinis substantia hoc intelligere cogaris. Hæc ille. Pauli determinatio hæc est: *Panis est communicatio corporis Christi.* Si hic corpus idem est ac signum & figura corporis, absque emerget sensus: Panis est communicatio signi corporis Christi. Quinto repugnat hæc expositio toti Scripturæ, quæ corpus Christi agnoscit verum & naturale, item mysticum & spirituale, quod est Ecclesia. Nullus potest produci locus, in quo corpus Christi accipiatur pro symbolo vel signo corporis. Sexto repugnat hæc expositio hypothesi adversariorum. Id quod gemina ratione evictum damus. Primo, si verba Christi, hoc est corpus meum, ita sunt resolvenda, hic panis est signum corporis Christi, sequitur, Christum in verbis Coenæ nullam prorsus instituisse manducationem corporis sui, nec fidei, nec oris, sicut statuunt Sociniani Calvinianorum pulli. Ecquibus enim verbis instituit Dominus manducationem corporis sui, nisi illis, Edite, hoc est corpus meum? Atqui his instituit non nisi manducationem signi corporis, hoc est, panis. Nulla ergo relinquitur manducatio corporis CHRISTI sive oralis sive spiritalis per fidem. Nec est, quod dicant, signa non esse vacua, rebus signatis, sed eas habere connexas. Respondemus enim, nos verba institutionis requirere, quibus Christus iussit manducare & bibere, res signatas. Nulla enim consequentia: Christus iussit ore manducare panem in his terris existentem, qui est signum duntaxat corporis sui in cælo existentis. Ergo etiam per eadem verba iussit manducare fide corpus suum. Si autem ex manducatione panis recte colligitur manducatio corporis Christi, tanquam connexi, necessario sequitur etiam incredulos manducare corpus Christi, quod tamen pertinaciter negant Calviniani. Secundo sic concludimus: Quæcumq; interpretatio nihil præter nuda symbola absentis corporis & absentis sanguinis relinquit, ea est Anabaptistica, impia, blasphema, teste Beza Epist. 5. Atqui interpretatio Calvinianorum talis est. Ergo Minor probatur: Quamquam enim amplissimis verbis protestentur & dicant Calviniani Christi corpus verè, realiter (addunt nonnulli, substantialiter) adesse (subintellige fidei) tamen & hoc dicunt, *id tanto intervallo à nobis distare, quantum distat summum cælum ab hac nostrâ terrâ.* Quod pronuntiavit Beza in colloquio Possiaceno; & pronuntiare alios quoq; omnes Calvinianos necessum est. Negant enim omnes, corpus Christi adesse in his terris: Negant

Negant corpus Christi esse in pluribus locis & præsertim illis omnibus, in quibus S. cœna administratur: Negant aliter in N Testamento Sacramentis adesse sanguinem Christi, ac fuit præsens in V. Testamento. Vid. Calv. lib. 4. Inst. c. 14. Sect. 23. Relinquitur ergo, quicquid dicant Calviniani, quod veri sint Anabaptistæ. His adde verba Chamierii Tom. IV. lib. X. cap. IV. num. 3. *Certum, nonnullis placuisse potius, tropum statui in prædicato, ut corpus meum sit pro signo, sive Sacramento corporis mei. Sed hoc redit eodem. Quamvis, si subtiliter excutiatur, videatur aliquanto alienius. Nam 1. Si accipiatur prædicatum pro signo prædicati; jam olim petra erat reapse signum Christi: cum tamen Aug. negarit tum eam fuisse, quod est dicta. 2. Figuratum corpus non est corpus, Et sic hæc enunciatio nullum corpus Christi re vera indicaret: sed aliquid ei simile, cum tamen Paulus dixerit, panem esse communionem corporis Christi. 3. Quod genus Tropi erit? Non Metaphora: Non enim significaret id quod Christi corpus efficeret in nobis, sed aliquid potius quod panis: simile tamen: Ut cum regnum caelorum dicitur sagena: Christus non docet, quæ sint effecta sagenæ: Sed regni caelorum. Sic cum Herodes dicitur Vulpes, hujus animalis proprietates prædicatur de Herode. Oporteret E. vel proprietatem aliquam Christi prædicari de pane, vel inverti ordinem enunciationis, Corpus meum est hoc, ac tum metaphora esset non in corpore: sed in altero extremo. At Christi mens est, quam olim expressere multi: corpore suo nos ali in vitam æternam. Si E. non designetur ulla proprietate panis, non potest dici metaphora. Nec dici potest esse Synecdoche: Nam tum corpus Christi sic erit tropicum vel ad se, vel ad panem. Et vel latius sumendum: vel strictius. Si ad se & latius, significabitur panem esse aliquid amplius quam corpus Christi. Sin strictius: panis non esset nisi aliqua pars corporis Christi: quod falsum. Si relatè ad panem corporis synecdoche pertinet & quidem latius id interpretando, corpus Christi latius patebit, quam panis; verbi gratia si dicas, lapides esse domum: quæ tamen complectitur etiam ligna cum tegulis: Sin strictius, panis latius patebit quam corpus, ut si dicas, hos lapides futuros cubiculum tuum, qui tamen totam domum constituturi sint. Utrumvis eligas, absurdum erit. Superest Metonymia: quam si statuas in corpore, hoc oportebit dici vel de causa sua; vel de effectu, vel de subjecto, vel de adjuncto. At ratio dari nequit, qua dicatur, hic panis est ea causa, quæ efficit meum corpus, putà, mater mea: vel est effectum, quod producit a meo corpore, putà, vita æterna: vel est subjectum mei corporis: nimirum cœlum: vel adjunctum, nim; gloria cœlestis. Unde hæc ratio non terminabit signi relationem*

nam ad ipsum corpus Christi: quod tamen necesse. Sed ad id, quod refertur corpus Christi, ut rursus identica sit propositio: ut cum dicimus: *Hæc tabula est Hercules: sensus est: Hæc tabula est representans tabula Herculem: ita hic panis est panis significans corpus Christi, quod accedit ad Anabaptistas, nullam peculiarem efficaciam Sacramentis adscribentes in rem significatam.*

§. 7. Hæc de prædicato sufficient. Sequitur copula, in qua Zwinglius, Chamier eosq; secutus Wendelinus improprietatem & tropum collocant. Interim de nomine & specie tropi non anxie laborandum censet Wendelinus infra resp. ad argumentum nostrum IX. Sed hoc pro nobis facit. Si enim nullus tropus est, qui modificet copulam, utiq; in copula tropus figi nequit. De copula loquimur sive de est tertii adjecti, non de est secundi. In copula non est Ironia, non Synecdoche, ut fatentur omnes. Neq; est Metaphora, sive tropus à simili ad simile. Nullum enim similitudinis inter $\tau\delta$ est & $\tau\delta$ significat sive ratione formalis (sensus) sive ratione materialis (literarum) fundamentum monstrare possunt adversarii. Imo nulla est proprietas $\tau\delta$ est, quippe communissimi conceptus: nulla ergo potest esse Metaphora. Deniq; non est Metonymia: hæc enim est, cum NOMINA causæ & effecti, subjecti & adjuncti permutantur. Summa $\tau\delta$ est simplicissimus est conceptus, non resolubilis in alios plures, adeoq; nihil significat, sed tantum copulat, $\delta\delta\epsilon\nu\delta\varsigma \pi\epsilon\varsigma\acute{\alpha}\gamma\mu\alpha\tau\ \Theta\sigma\mu\epsilon\iota\omicron\nu\ \epsilon\sigma\tau\iota, \acute{\alpha}\lambda\lambda\grave{\alpha} \omega\varsigma\omega\sigma\theta\eta\mu\alpha\iota\nu\delta\ \sigma\acute{\upsilon}\nu\theta\epsilon\sigma\tau\omega\iota$ ut ex lib. $\pi\epsilon\gamma. \epsilon\rho\mu\eta\nu.$ cap. 2. tyrones norunt. Quod si nihil significat, utiq; sedes tropi esse nequit: per hunc enim significatio propria demigrat in alienam. Neq; enim tropi in verbis ponuntur, nisi ratione peculiaris alicujus naturæ, quæ in uno verbo implicatur, & non in altero. At $\tau\delta$ est nihil peculiare involvit, sed id, quod est commune rebus omnibus, neq; in plures conceptus resolvi potest. Qui dicunt cum Cham. lib. X. cap. VII. num. 8. $\tau\delta$ est æquè esse compositum ac reliqua verba, puta, amat, quod resolvitur in est amans, illos in resolutione secunda tertia &c. in infinitum ire necesse est, ut tyrones Logicæ norunt. Wendelinus dicit, copulam conjungere vel $\delta\sigma\omega\delta\omega\varsigma$ cum propriè accipitur, vel $\chi\epsilon\tau\iota\kappa\omega\varsigma$ cum impropiè. Quorum neutrum recto stat talo. Non enim Deus est homo essentialiter vel substantialiter, etiamsi propriè ibi capiatur copula. Nec homo est doctus, Pater, agens, patiens essentialiter, etiamsi in his $\tau\delta$ est propriè accipiat. Sed impropiè accipi copu-

copulam auctoritas Rhetorum gentilium & Christianorum (quos omnes *errori suo servire* stultè dicit Wendelinus) vetat. Quin & Logici vetant, copulam statuentes tantum esse unionem subjecti & prædicati, facereq; ut terminus unus actu sit subjectum, alter actu prædicatum. Deniq; tò est apud Lucam omittitur. Non ergo potest modificari. Non tamen desunt Wendelino rationes, quibus probare conatur copulam improprie accipi posse. Prima ducitur ab exemplis & locutionibus Sacramentalibus: *Circumcisio est fœdus, Agnus est pascha seu transitus, Petra erit Christus, Septem vaccæ septem anni sunt.* His adde exemplum, quod habet infra resp. ad arg. nostrum IX. *Verbum amare est diligere, hoc est, significat diligere.* Resp. in genere. Etiam si in his omnibus propositionibus tò Est idem esset ac significat', tamen adhuc argumentatio bona non esset. Est enim argumentum à particulari, & est manifesta dissimilitudo inter sacramenta V. T. significativa & figurativa, & N. T. quo tempore omnes figuræ sunt abolitæ & deletæ superveniente corpore Christo. In specie circumcisionem quod attinet', manifesta est dissimilitudo inter sacramentum cœnæ, quod constat materia cœlesti & terrena, ita quidem, ut secundum adversarios cœlestis prædicatur de terrena, & circumcisionem, cujus materia terrestris est abscissio præputii, cœlestis ipse Christus, quorum alterum de altero non prædicatur. Adde, quod diversimodè accipiatur vox fœderis, unde diversæ emergunt propositiones. Si enim dicas: circumcisio est fœdus, vox fœderis accipitur pro instrumento, per quod voluntas Dei gratiosa explicatur, adeoq; sacramentum circumcisionis est fœdus effective, dum efficit ut recipiantur homines in fœdus, velut organon efficacissimum, vel si mavis, signum non merè *σημαντικόν*, sed *μεταδοτικόν* atq; *προσφερόμενον*. Rom. IV. ii. Si autem dicas, circumcisio est signum fœderis, ibi fœdus significat ipsam Dei de fœdere gratioso voluntatem & promissionem, cujus applicationem circumcisio obsignat. Alteram propositionem, Agnus est transitus, quod attinet, manifestum est eam esse *ἀγαθόν* & propterea ad probandum inidoneam. Nonnulli per vocem Pesach intelligunt transitionem, quod festinandum erat, ut in transitu Domini per omnes angulos Egypti percutientis primogenita Egyptiorum Israelitis parceretur, eorumq; ædes præterirentur ab Angelo percussore videntè sanguinem agni paschatis postibus illitum esse. Ad hanc transitionem, non vero ad agnum, referendum

dum esse demonstrativum Νῆ ex contextu liquidum est. Et quæ esset
 analogia significativa inter agnum & transitum Domini? Alii quidem
 per Pesach intelligunt victimam transitus hoc sensu: Hic ritus macerandi
 & manducandi agnum est singulare sacramentum & festivitas Do-
 mini, sive Domino vers. 12. 26. Sed quid hoc ad rhombum? Nihil hic
 pro analogiis significativis & metonymiis sacramentariis. In Tertia
 enunciatione, Petra est Christus, pariter τὸ Est non est idem ac significat.
 Nam in subiecto non intelligitur petra materialis, sed spiritualis con-
 sequens & concomitans Israelitas, quæ revera & proprie est Christus.
 In quarto exemplo non intelliguntur vaccæ proprie dictæ nec anni pro-
 prie dicti sive in temporum serie decurrentes, sed imaginarii, adeoque
 septem vaccæ fuere signum, μερὲ θεωρητὸν, cuius visione adumbraba-
 tur fecunditas aut sterilitas septem annorum. Nobis nunc sermo est
 de propositione sacramentali eaq; realiter non imaginariè exhibitiva.
 Manifesta ergo est dissimilitudo. In ultimo exemplo notanda est am-
 biguitas vocis significat. Vel enim idem valet ac signum est, vel idem
 ac sensus est. Rursum voces amandi & diligendi vel accipiuntur forma-
 liter pro ipso sensu harum vocum, vel materialiter pro ipsis apicibus &
 literis. Posteriori modo amare non est diligere, nec signum est τῷ dili-
 gere. At priori modo non significat sive signum est τῷ diligere, sed re-
 vera idem est, quoad sensum nempe. Idem ergo valet ac si dicam: A-
 mare eundem sensum obtinet, quem τὸ diligere. Ubi hic ratio signi?
 II. *Confert Wendelinus has phrases: Calix est novum Testamentum in meo*
sanguine, & Hoc est corpus meum. Verum in priori τὸ est non est idem ac
 significat. Neq; enim calix in sanguine Christi, sive, ratione sanguinis Christi
 consideratus est signū, sed causa & fundamentum Novi Testamenti. Ubi
 nota, additionem (*in sanguine meo*) non esse referendam esse ad voces ἡ
καινή διαθήκη, nam sic repetendus fuisset articulus ἡ ἐν τῷ αἵματι μου
 sed ad voces, τῷ τοῦ πηθέου, hoc sensu: Hic calix respectu sanguinis,
 quem modo mystico & supernaturali, verè tamen, continet, est N. T.
 sive causa Novi Testamenti. Retorquemus ergo argumentum: Sicut
 in illa propositione: hic calix est N. T. vox calicis non accipitur pro solo
 vino (hoc enim non est causa Novi Testamenti) ita quoq; in proposi-
 tione: Hoc est corpus meum, τὸ hoc non denotat panem solum. III.
Confert locutionem Pauli: Panis est communio corporis Christi, & Christi,
panis

Panis est corpus meum. In quibus tamen enuntiationibus diversitas est, ut supra notatum. Non est locutio Biblica & Christi: Panis est corpus meum. Neq; in enuntiatione Paulina τὸ est idem est ac significat. Quid enim esset dicere: Panis est signum communionis corporis Christi? Si inspiciamus Paulum, explicantem suam *κοινωνίαν* per τὸ *μετέχειν* I. Cor. X. 21. utiq; clarum est id, quod nos volumus, eos, qui participant de pane benedicto, participare etiam de corpore & sanguine Domini, non credentes tantum, sed & indignos, qui rei sunt ipsius corporis Christi. IV. *Si τὸ πῆτὸν valet, sequitur panem ἕστωδῶς esse Christi corpus, esse alimentum hominis, Christum sumsisse proprium corpus & fregisse, effudisse proprium sanguinem, panem esse datum in mortem, Christi corpus gloriosum etiamnum frangi, frustra nos credere rediturum Christum in hunc mundum, quippe qui jam hic est &c.* Hæc absurda laborant falsa hypothese, quasi per τὸ hoc sit intelligendus solus panis. Verum est, in cœna ἕστωδῶς & substantialiter esse corpus & sanguinem Christi, at falsum panem ἕστωδῶς esse corpus Christi. Concedimus ὑπερουτικῶς & sacramentaliter panem esse corpus Christi sc. per realem adessentiam sive præsentiam, sed panem non abstractè sed ἐν ἐνώσει spectatum. Non fregit Christus corpus suum, sed panem, non effudit in cœna sanguinem, non est panis datus in mortem, sed corpus. Concedimus ipsissimum corpus Christi, quod jam amplius non frangitur, sic tamen exhibetur in cœna, ut ejus olim fracti memoria perenniter emineat, & ipsissimum Christi sanguinem, qui pariter hodie non effunditur, sic tamen bibitur, ut ejus olim effusi memoria recolatur, esse nostrum acceptabile omnesq; supergrediens delicias alimentum. Quod de reditu ad iudicium dicitur, non pugnat gloriosus visibilis & illustris ille actus cum peculiari actu adessendi in cœna. Utrumq; Christus iussit & edere corpus suum in cœna & credere se rediturum ad iudicium. Hic quoq; ut in aliis mysteriis, stupeat ratio, fileat iudicium. Innitatur evidentie sacri textus, quem Deus nobis gratiosè indulgit, non ut crucem nobis figeret, sed ut nostram firmaret fidem. Simplex fides, optima fides: scrupulosa pessima. *Veritatis simplicitas per scrupulositatem plerumq; fidem nutat.* Tertull. ad Nation. lib. 2. cap. 3. V. *Dum dicitur, Panis est corpus meum, Calix est Novum Testamentum, prædicatur disparatum de disparato. Ergo non potest esse locutio propria.* At non prædicatur in sacro codice

C

corpus

corpus de pane. Cum dicitur Calix esse Novum Testamentum est locutio complexiva exhibens per id, quod continet, id quod continetur, cui similis est illa: sanguis est anima carnis Lev. XVII. quia est vehiculum animæ. Et posito esse hic aliquam improprietatem, usitatissima ea est, & non solum à Luca per *περὶ τοῦ ποτηρίου ἐν τῷ αἵματι μου*, sed & ab aliis Evangelistis explicata. At vero est poni pro significat, vel corpus pro signo corporis est à Scriptura alienum, nec talis improprietatis vel in Evangelistis vel in Paulo ullum vestigium apparet. Quod de enunciatione, Deus est homo, subnectit Wendelinus, ineptum est. Conf. Exerc. de Unione Personali §. 6. VI. *Denuo urget improprietatem in voce calicis*. Se de hoc dictum est. Et debebat probare Wendelinus id est idem esse ac significat. Non enim quaeritur an in Luca & Paulo alicubi quædam improprietas in recitatione verborum institutionis occurrat. Quaeritur de enunciationibus. *Hoc est corpus meum. Hoc est sanguis meus*. Hæc propriè capienda dicimus.

§. 8. Argumenta nostra recenset Wendelinus, & suis elidere responsionibus allaborat. Rem, quantum licebit, in compendium conferemus. Primo loco Wendelinus ponit rationem hanc: Interpretatio retinens propriam verborum Christi significationem congruit cum mente & voluntate Christi. Ergo ea est retinenda. Excipit *istam sequi multa absurda antea memorata*. Sed meminerit, ob absurdum rationis in articulis fidei à litera non esse recedendum. Aliàs peribunt summa Religionis Christianæ misteria. II. Interpretatio literalis retinet promissionem & exhibitionem corporis & sanguinis Christi. Excipit Wend. *Christum non promississe præsentiam sui corporalem, sed Spiritualem tantum*. At hoc est petere principium, omnino promissit præsentiam, sui corporalem, si rem spectes, (de modo corporali non loquimur) ut verba institutionis evincunt. III. In nullius Sacramenti institutione est à propria verborum significatione recedendum. Excipit Wendelinus, *in omnibus fermè Sacramentis improprias reperiri locutiones, ut in Circumcisione, Agno paschali, ipsosq; adeo Sacramento cœne, v. g. cum calix dicitur Novum Testamentum, cum ponitur continens pro contento, cum corpus dicitur fractum, cum panis dicitur communio corporis Christi, calix communio sanguinis Christi, cum jubemur bibere poculum, cum panis dicitur corpus, cum Christus dicit se bibiturum vitis fructum novum in regno Patris sui*. De Circumcisione & Agno Paschali modo dictum. Reliquas locutiones quod

quod attinet, sunt eæ omnes usitatae, adeoq; si improprietas quædam apud unum occurrit, eam vel ipse vel reliqui protinus explicant. Calix dicitur Novum Testamentum usitata apud Orientales phrasi, cujus generis multa in sacris occurrunt, ut, cum Deus dicitur salus nostra, fortitudo nostra, hoc est, causa salutis & fortitudinis nostræ. Contineñs poni pro contento usitatissimum est. Quod Paulus dicit corpus improprie fractum puta in cruce (ad hanc enim respicit non ad panisfractum) eam reliqui improprietaem explicant, cum dicant, corpus esse, traditum in mortem, puta acerbissimam crucis. Enuntiationes: Panis est communicatio sive medium communicativum corporis, & calix est medium communicativum sanguinis Christi, non reperiuntur in verbis institutionis, de quibus jam quæstio est instituta, & sunt eæ satis clara, aut, si quid minus usitatum aut clarum, id ab ipso Paulo explicatum, dum *κρηνωριαν* explicat per τὸ *μετέχειν*, ut antea observatum. Sensus harum enuntiationum ex ipsis relucet Institutionis verbis, nec alius potest esse, quam hic: Participatio panis est participatio corporis Christi, participatio vini est participatio sanguinis Christi. Nusquam in Scripturis panis dicitur corpus, nec usquam in Scripturis vox corporis ponitur pro signo corporis. Reliqua non pertinent ad substantiam Sacramenti cœnæ, de qua nunc unice quæritur. IV. Verba institutionis sunt verba Testamenti & per consequens proprie atq; ut sonant accipienda. Excipitur, *à Testamentis nec divinis nec humanis abesse solere voces improprias*. Sed, quanquam in Testamentis forte locum habere possint improprie voces, necesse tamen est improprietaem esse talem, quam admittit communis loquendi usus. At in Testamento poni corpus pro signo corporis, nullus loquendi usus admittit. V. Qui loquitur figuratè, author est eorum erroris, qui errant in intelligendo. Adeoq; tum valet illud Lutheri: *Si deceptus sum, Christus me decepit*. Excipitur, *falsum id esse, nec v. g. Anthropomorphitas propterea excusabiles, quod ex tropicis Scripturae de Deo locutionibus suam hæresin hausserint*. Limitamus majorem: Qui loquitur figuratè, & tales quidem adhibet figuras, quas nullus loquendi usus admittit, is author est erroris eorum, qui in intelligendo errant. At sic nihil pro Anthropomorphitis. Oculum enim verbi gratia pro perspicacia, brachium pro fortitudine poni, non est præter usum loquendi. Et debuissent ex aliis Scripturæ locis, quæ Deum testantur esse Spiritum, non habentem carnem & ossa &c.

explicationem impropriarum enunciationum promere. Lutheri vox plenissima est fidei & *ωδύς Φοβός*, nec nova. Similia sunt verba Hilarii lib. 6. de Trinit. pag. 67. *Ignosce omnipotens Deus, quia in his ne commendari possum, nec commoti possum: tarde mihi hos impiissimos quantum ego arbitror, doctores etiam nunc huius seculi protulit.* Et mox. *Et in eo me iudica, si crimen mihi est, nimum me per Filium tuum & legi & Prophetis & Apostolis credidisse.* Et illa Richardi de sanct. Victor. lib. 1. de Trinit. *Domine, si error est, à te ipso decepti sumus.* Nam ista tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te ipsum fieri possunt, & certe à summo sanctitatis viris sunt nobis tradita, cum summa & authentica attestazione probata, te ipso cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. VI. Christus morti vicinus finem imposuit figuris. Distinguit Wendelinus inter figuræ verbo, um & rerum. De his concedit rationem nostram, non de illis. At non tantum in verbis, sed in rebus ponuntur figuræ, dum panem dicunt esse figuram corporis Christi &c. Et hæc figura analogiam habet cum figuris V. T. manna & similibus quæ clariore & expressiores fuerunt figuræ, quam panis & vinum. Sequeretur ergo, noctem fuisse clariorem, quam diem. Concedimus nos cum Patribus, *Panem dici posse figuram corporis Christi*, sed negamus esse tantum figuram corporis Christi absentis. Id nemo Patrum asseruit. Vid. CL. Dorsch. consider. Declar. de SS. Cæna Dom. pag. 107. & 151. seqq. Notanter Damascen. lib. 4. de O. F. cap. 8. *Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi, absit enim hoc, sed est ipsum corpus Domini deificatum.* Negamus in Lucæ Verbis: *Hic calix est Novum Testamentum*, figuram sanguinis intelligi posse. Nam sic quoq; calix veteris Testamenti repletus sanguine hircorum esset Novum Testamentum, quandoquidem & ibi erat figura sanguinis Christi, eaq; multo illustrior, clarior & evidentior, quam in Vino. VII. Institutus est Cæna sermo de re obscura, necessarius ergo fuit sermo proprius & perspicuus. Excipitur opponendo verba: *Hic calix est N. T. quæ sint de re obscura, interim impropria.* Sed quid tum postea? Sunt impropria, modo sint perspicua, vel ab aliis divinæ mentis interpretibus perspicue explicata. VIII. Christus morti fuit vicinus: quare proprie & perspicue est locutus, ut intelligi posset. Excipitur opponendo verba: *si hoc fit in viridi ligno, quid fiet de arido.* Sed & hæc locutio proverbialis satis est perspicua IX. In hac enunciatione: *Hoc est corpus meum, & subiectum & prædicatum*, proprie

propriè accipitur. Ergo est enunciatio tota propria. Excipit Wendelinus proprietatem enunciationis non solum esse estimandam ex subjecto & predicato, sed & ex copula. Transfigat ergo cum universo Rhetorum, cum vetustorum, tam recentium, cum gentilium tum Christianorum choro. Sed & cum Logicis ævi recentis & prisca transfigat, de quibus supra dictum. Nugæ Wendelinianæ per se evanescent. Quia tamen sunt inter Reformatos præcipui, qui tropum in prædicato collocant, corpus interpretantes signum corporis, nec hos indefensos relinquere, Wendelinus voluit. Ad argumentum nostrum, id intelligitur per prædicatum, quod pro nobis in mortem traditum. Atqui non signum corporis pro nobis est traditum. E. Excipit Wend. *verba illa, quod pro vobis est traditum, non pertinere ad integrum prædicatum, sed ad partem prædicati, hoc sensu: Hoc est signum corporis mei pro vobis traditi.* Sed hæc somnia sunt & perversiones textus sacri. Si ad eum modum velimus ludere in misteriis, de illis actum erit. Cæterum transfigat Wendelinus cum Christo. X. Perspicua sunt Christi verba: Hoc est corpus meum. Ergo propriè interpretanda. Excipitur, etiam *impropria verba esse perspicua. Quod verum est, si improprietas cum vulgari loquendi consuetudine concordat.* Ar remotissimum est à loquendi usu, si corpus ponatur pro signo corporis. XI. Verba Testatoris, relinquo tibi domum, non licet sic interpretari, relinquo tibi signum domus. Excipit Wendelinus, *esse dissimile exemplum. Christum enim dixisse, panem esse corpus suum, quod non aliter accipi possit, quam de signo. Quod si testator ad exemplum Christi porrectus Testamentariis tabulis, ad heredem diceret: En hæc est domus, quam tibi relinquo, nemo tam esset simplex, qui non intelligeret, testamentarias tabulas non esse ipsam domum, sed tantummodo signum legatæ domus. Sed in his manifesta est dissimilitudo. Qui dispositionem de ædibus hæredi tradit, non dicit, hoc sunt ædes meæ. Neq; Christus dixit, panis est corpus meum, sed hoc est corpus meum, ut si testator diceret, ire hæredes, habitate, hoc, quod in illo loco videtis, est domus mea, quam in vestrum commodum ædificavi, hoc est testamentum meum, quod moriturus condo.* XII. Ad imperitos nemo utitur tropis. Excipitur, *id de talibus imperitis esse intelligendum, qui tropi non sunt capaces.* Limitamus assertionem nostram: ad imperitos nemo utitur tropis inuitatis & à familiari sermone abhorrentibus. XIII. Leges à prudentibus legislatoribus

bus latæ non sunt tropicæ, sed perspicuæ. Excipitur, etiam *tropos esse perspicuos*. Sed tales, quorum significatio obvia est & ex trivio haurita. At corpus poni pro signo corporis nec est ab usu sermonis Ebræi nec Ebræizantis. XIV. Articuli fidei proponuntur verbis perspicuis. Excipitur, *proteuangelium continere articulum fidei, verba tamen esse impropria*. Respondeo, articulos fidei proponi verbis propriis, usitatis, notis & apertis. Neque enim ex solis figuris & allegoriis potest constitui & comprobari dogma. Aut ergo negandum, articulum de cœna esse articulum fidei, aut dicendum alicubi propriis & usitatis verbis esse propositum. At id non factum in verbis Institutionis, si Reformatos audimus. Monstrent ergo alium Scripturæ locum, in quo apertis verbis hic articulus sit expressus. In Proteuangelio sunt quidem verba impropria, sed talia, quorum significatio non debet longe peti. Sed & alibi ponuntur, propria, ut cum dicitur Christus *destruxisse opera diaboli*. XV. Signum & signatum de se mutuo non prædicantur in casu recto. Exceptio Wendelini ex supra dictis diluitur.

§. 9. Pergit Wendelinus, & vult evincere duo coniectaria sequi ex sententia nostra 1. *nos non retinere τὸ πῆδὸν* 2. *nostram interpretationem esse falsam*. Primum inde sequi, quia *nosmet ipsi fateamur, hoc idem esse ac cum, in, sub hoc*. At sic nulla fit mutatio significationis nativæ & propriæ in alienam. Est enim pronomen *δεῖ τῆδὸν* exponendum per vocabula sive particulas unionem inferentes, quales sunt, in, cum, sub hoc. Hujus expositionis fundamenta monstrat ipse Spiritus sanctus, ut, cum Hic, puta Filius hominis, dicitur Deus, id Paulus explicat, *Deus est in carne, in ipso habitat tota plenitudo Deitatis*. Eadem est ratio propositionis illius, cum viso Spiritu Sancto sub specie columbæ, dicere Johannes potuit: *Hoc est Spiritus Sanctus*. Quod Levit. XVIII. dicitur vers. 14. *Sanguis est anima*, id explicatius dictum vers. 11. *Anima est in sanguine*. Et sic quoque explicant Veteres, quorum hæc sunt: *Cum illi rebus, que videntur, simul adesse creditur corpus & sanguis Christi: id quod est in calice id est, quod fluxit de latere: sanguinem ejus sub vini specie & sapore potamus*. Quod de Synechdoche Lutheri dicitur, propriè loquendo nulla hæc est figura vel Rhetorica vel Grammatica. Interim revera hic duo est in subiecto hoc *συνεχδοχη* sive complexio quædam, adeoque τὸ Hoc completitur, unum in casu recto, alterum in casu obliquo, adinstar terminorum.

ram concretorum v. g. cōm dico, homo est albus, τὸ albus duo impor-
 tat subjectum & formam. Et quia id, quod in casu recto ponitur, idem
 est cum subjecto, inde vera hæc est enunciatio, Homo est albus. In omni
 enim vera propositione copula identificat prædicatum cum subjecto,
 nempe quantum ad id, quod ponitur in casu recto, non autem quantum
 ad id, quod ponitur in casu obliquo. Neq; enim dicere possum, homo
 est albedo. Sic in præsentī negotio, Hoc est corpus meum, τὸ Hoc com-
 plectitur duo, unum in casu recto, alterum in casu obliquo. In casu recto
 importat ipsum corpus, in obliquo panem, hoc sensu: Quod cum pane
 accipitis, comeditis, hoc est corpus meum. Eadem est ratio in vulgatis
 exemplis, si quis dicat, porrecto alabastro, hoc est unguentum, porrecto
 poculo, hoc est vinum &c. In his exemplis τὸ Hoc duo involvit, unum
 in casu recto, contentum nempe, alterum in casu obliquo, nempe con-
 tinens, hoc sensu: Id contentum, quod est in alabastro, est unguentum..
 Porro, interpretationem nostram repugnare τῷ πρῶτῳ, probat Wende-
 linus inde: *Quia Christus intelligit corpus suum, quod verè est naturale, visi-
 bile, palpabile, finitum, iuxta sua quantitate & figura præditum, unoq; & cer-
 to loco circumscriptum. Corpus autem, quod Lutherani credunt adesse, non
 est naturale, visibile &c.* Respondeo, quanquam qualitates naturales cor-
 poris Christi corpus non per omnia habeat, inde tamen non est conclu-
 dendum, defuisse verum & naturale ipsius corpus. Nam & corpora glo-
 rificata non habent eandem nobiscum qualitates, neq; tamen amiserunt
 naturam corporis. Interim actu primo corpus Christi mansit visibile,
 palpabile, mansit finitum & circumscriptum internè. Vid. Exerc. de
 union. Personal. §. 17. De comestione corporis Christi, quod subne-
 dit Wendelinus, infra discutietur. Quod si adversarii ad naturales ratio-
 nes exigere omnia volent, proximum est, ut pereat tota ratio Sacramen-
 ti, cuius tamen, quanta omnibus seculis fuerit veneratio, ei, qui in histo-
 ria Ecclesiastica non est planè hospes, ignotum esse nequit. Tandem
 probare Wendelinus vult, interpretationem nostram esse falsam. Ra-
 tiones adducit has. *I. In baptismo non est sanguis, E. nec in Cæna. Quid
 si utrobq; dicamus esse sanguinem Christi? Est enim in baptismo Sacro-
 sancta Trinitas, est ibi Christus Deus & homo, purificamur sanguine
 Christi. Unde consequitur sanguinis Christi præsentia, ea tamen non,
 naturalis, sed supernaturalis. Tacemus, diversam esse rationem bap-
 tismi &*

mi & cœnæ. Neq; de aqua baptismi dicitur, quod sit sanguis Christi, neq; id dicenti Wendelino credimus. Monstret locum Scripturæ & sic respondebimus. II. *In verbo suo Christus non promisit corporalem præsentiam ante iudicium ultimum &c.* Non sunt opponenda, reditus Christi ad iudicium & præsentia corporis Christi in cœna. Utrumq; credendum est, quia utrumq; credi iubet Christus, qui omnia, quæ vult, potest efficere. Loca, ad quæ digitum intendit Wendelinus pervertuntur. Loca Matth. XIII. XXIIIX. temere restringuntur ad præsentiam divinæ gratiæ vel naturæ, ut ostensum Exercit. de Union. Person. §. 19. Quod attinet Paulum, observandû, quod Paulus ex apparitionibus, quæ describuntur Act. IX. XXIII. &c. probet Christum verè resurrexisse I. Cor. XV unde concludimus, Christum apparuisse Paulo in proprio corpore, in quo resurrexit, alias apparitio non fuisset idonea & sufficiens probandæ resurrectioni Christi. III. *Christi corpus est institutum. Ergo non est in pane, ubicunq; administratur Cœna.* Frustra opponatur finiti corporis ratio verbis institutionis. Tutius audimus Christum loquentem, quàm rationem obloquentem. Idem tenendum contra IV. Nobis religiose premuntur verba Institutionis, in quibus distincte Christus voluit edi corpus & bibi sanguinem. Neq; hic curamus disputationes *de ex sanguine corpore &c.* Tranfigant adversarii cum Christo. V. *si Christi corpus est sub pane, sub pane frangetur, dentibus comminuetur & in stomachum trajicietur.* Fatemur, Christi corpus esse sub pane & cum pane edi. Sed addimus, edi non Physicè & immediate, sed mediate pane benedicto, interim verè & propriè, si rem spectes, non autem si modum rei. Hæc enim distinctissima sunt. Verè & propriè Maria gestavit Deum & Hominem, sed non eo modo Deum, quo hominem. Accidentia manducationis panis, quæ naturaliter contingunt pani post oralem perceptionem, corpus Domini non tangunt. VI. *si Christus in cum & sub pane est, utriq; in cum & sub pane est adorandus.* Eadem hæc est consequentia cum illa: Deus est in homine pio E. Deus cum homine pio est adorandus. Interim, quia ubivis est Deus, ubivis etiam est adorandus. Sacramenta media sunt perveniendi ad objectum adorandum, non autem ipsa sunt objecta adoranda.


THE-



THESIS II.

Verum & naturale Christi corpus; verus item & naturalis Christi sanguis ore corporis accipiuntur, adeoque corpus proprie mediante pane comeditur, sanguis proprie mediante vino bibitur.

§. I.

 Um proprie manducari corpus Christi dicimus, non intelligimus manducationem Capernaiticam aut Cyclopicam laniam, quâ caro Christi instar vitulinæ dentibus atteratur, per guttur in ventrem trajiciatur, in ventre digeratur &c. Neq; enim physico modo præsens est corpus domini, ut physicè manducari possit. Jubeatur ergo exesse talis manducatio oralis, qualem dicitur Nicolaus Papa dictasse Berengario consistendam, qua corpus Christi atteratur dentibus & in stomachum demittatur. Nostra sententia est, quam thesis expressit, cui magno conatu contradicunt adversarii. Admon. Nestod. pag. 103. statuit *ore corporis nihil sumi in Cæna Domini præter panem & vinum*: pag. 109. *omnem ingressum substantiæ carnis Christi intra hominum corpora quamvis subtilem, spiritualem, cælestem, supranaturalem vel contra naturalem arcanam & incomprehensibilem cum verbo DEI pugnare censet*. Conf. Orthod. pag. 97. statuit figuram externo sacramenti usu corpori & sensibus præsentem esse & offerri, veritatem vero fide & intellectu virtute spiritus in verbo contingere & accipi: pag. 138. *corporalem & externam in misterio Cænae institutam manducationem non posse ex serie verborum proprie intelligi de ipsomet corpore Christi, quasi simul & cum pane realiter dato: non enim dixisse Christum: Hoc est corpus meum accipite & manducate illud, sicut hæc quidam improba falsitate rudi populo intelligenda proponunt.*

§. 2. Wendelinus C. T. Lib. I. Cap. XXII. Thef. XVII. *monstrorum judicat & infelix esse dogma oralis manducationis: hanc esse solam & unicam disjunctionis Protestantium causam: huic statuminando accersitum esse prodigiosum ubiquitatis dogma, imo ipsum Eutybianismum investunt:*

D

hanc

Hanc esse fundi Evangelici calamitatem: hanc si Deus averruncaret, Ecclesie pacem & concordiam redonaret. Contra falsum hoc dogma pugnamus inquit: (videamus, quibus armis & quam feliciter) sequentibus argumentis. I. Christus jam corpore suo non est in cum & sub pane. Ergo in cum & sub pane non manducatur. Invertimus argumentum: Christus in cum & sub pane manducatur, Ergo jam corpore suo est in cum & sub pane. Prius infra uberius probabitur. II. Manducatio oralis est impia, quia est ἀνόμιμος φάγισμα: est impossibilis, quia finita caro omnibus manducantibus non sufficit, nec omni loco, ubi Cœna administratur, adesse potest: est inutilis, quia caro Christi nihil prodest Joh. VI. 63. Hæc somnia & porrenta verbis Christi opponuntur. Ἀνόμιμος φάγισμα Capernaitica impia est, nec à nobis illi ullum patrocinium. Augustini verba Capernaiticæ lanienæ, quam & nos detestamur, opposita sunt. Quod de impossibilitate dicitur, nihil est. Apud Deum non est impossibile ullum verbum Luc. I. 37. Potest Deus ὑπὲρ πάντων νοησῶν ὑπερέκθεσις ἢ ἂν νοῦμεν Eph. III. 20. Quod de utilitate dicitur, gratis dicitur. Prodest oratis manducatio corporis Christi divinâ præsentia in Cœna præsentis nobiscum communicati, ut medium efficacissimum offerens, obsignans, corroborans. Et quamvis nulla alia utilitas esset, maxima tamen est obedire Christo & captivare sub fidei obsequium rebellantem rationem. Adquam pertinet consolatio crucifixionis & trucidationis, item sepultura intra viscera communicantium impiorum &c. Wendeliniana. Hæc DEO relinquimus examinanda atq; vindicanda. Ut & illud, quod impurum os Wendelini Nestorium secuti non dubitavit evomere: Caro Christi nihil prodest. Neq; enim in Johanne de carne Christi sermo est, sed de iis, qua carnaliter accipiunt, quæ dicuntur, ut recte rem explicat Chrysost. hom. 46. in Johann. Adde August. tract. 27. in Johan. Et hanc expositionem inspectio textus firmat. Subjungitur enim: verba quæ loquor spiritus & vita sunt. Præcesserat vers. 51. Panis, quem dabo est caro mea, quam dabo pro mundi vita. Expende, quæ sequuntur. Neq; Johannis cap. VI. agitur de Cœnæ Sacramento, ut ipse agnoscit Chamier Tom. IV. lib. XI. cap. III. seqq. Temporis historia non permittit, ut ibi dicatur agi de Cœna, quæ nondum erat instituta. Tum diversæ sunt enunciationes: Caro Christi est panis, &, hoc est corpus meum. Deniq; apud Johannem edere carnem Christi & bibere ejus lan.

sanguinem semper est salutare. At in Cœna etiam editur & bibitur
 ad iudicium. Interim non negamus, Christum præcludere Joh. VI.
 voluisse instituendæ Cœnæ, nec dubium, quin Concio illa ad Sacramen-
 tum Cœnæ accommodari possit & quidem ad uberiorem explicatio-
 nem verborum Cœnæ: Hoc facite in mei recordationem, quæ faciunt
 ad fructum Cœnæ, non autem eorum, quæ pertinent ad sacramenti
 Cœnæ substantiam, qualia sunt, Edite, hoc est corpus meum &c.
 Quare argumentum. III. Wendelini nos non ferit. IV. *Si corpus
 Christi propriè oraliter & corporaliter manducaretur, utiq; dentibus com-
 minueretur & in stomachum trajiceretur.* Notanda est ambiguitas phra-
 sis, oraliter, propriè & corporaliter edere. Vel enim de objecto intel-
 ligitur, vel de modo. Si de illo, verum est, oraliter & propriè edi ipsi-
 simum corpus Christi. Si de modo, falsum est modo naturali & cor-
 poraliter edi. Absurda, quæ convehuntur, modum sequuntur mandu-
 candi physicum & naturalem, quem nos rejicimus. Quod si aliquid
 volunt obtinere Calviniani, probandum ipsis erit, nullo modo aliquid
 ore & propriè manducari posse, nisi Physicè manducetur. Neq; suffi-
 ciunt exempla à natura petita. Sic enim periret Trinitas, periret in-
 carnatio, periret generatio Filii, quæ propriè generatio est, minime
 tamen est physica vel naturalis. V. *Si corpus Christi in prima institutione
 fuisset corporaliter in cum & sub pane, & oraliter ac propriè cum eo man-
 ducatum esset, utiq; Christus ipse suum corpus oraliter manducasset, quando
 panem manducavit.* Non legitur in Evangelistis, non in Paulo, Chri-
 stum manducasse panem sacramentalem. Distinguenda est Cœna Pa-
 schalis, cujus pars fuit Christus, à Cœna Dominica, cujus non se, sed
 discipulos participes fecit. VI. *Oralis manducatio corporis Christi est
 Capernaïtica.* Capernaïtæ existimabant, Christum jubere comedere
 carnem suam modo naturali Physico, sicut aliæ carnes solent devo-
 rari. Quibus non sunt dissimiles Calviniani, in quantum existimant
 ore corporis Christi carnem edi non posse, nisi simul modo physico
 & naturali comedatur. Nos qui Capernaïticum illud Quomodo de-
 testamur, procul à Capernaïfimo absumus. VII. *Si discipuli in prima
 institutione corporaliter & oraliter Domini corpus edissent, eodemq; modo
 sanguinem bibissent, his mortuus fuisset Christus, semel in administratione
 Cœnæ, & iterum in crucifixione.* Fieri enim naturaliter non potest,
 quin vivum esse corpus desinat, à quo sanguis separatur. Rursus confun-
 ditur

ditur modus cum re ipsa. De illo nulla, de hac sola controversia est. Non sequitur: Christi corpus comederunt discipuli. Ergo Christus tunc mortuus fuit. Sicut non sequitur: Christi corpus hodie comimus, Ergo Christi corpus hodie moritur. In misteriis non est attendendum ad id, quod naturaliter sive per vires & modum naturæ fieri potest vel non potest, sed attendendum ad id, quod revelat divina voluntas conjunctam habens potentiam infinitam, longissimè superantem omnes naturæ vires & modos. IIX. *Unio corporum nostrorum cum Christo non est corporalis Ergo nec manducatio. Quia ex manducatione oritur unio.* De unione mox dicetur. Falsum est, ex manducatione sacramentali semper oriri unionem. Valet id quidem in fidelibus, qui essentiam Sacramenti & fructum simul percipiunt, non autem in infidelibus, qui substantiam quidem Sacramenti percipiunt, non autem fructum. IX. *Christi corpus gloriosum amplius non patitur, Ergo corporaliter & oraliter jam non manducatur.* Responsum est ad objectionem VII. Crambe bis cocta mors est. X. *Si gloriosum Christi corpus una cum sanguine corporaliter esset in cum & sub pane & vino & promiscuè ab omnibus ore perciperetur, sequeretur etiam ab impiis deglutiri, idemq; Christi & Belialis esse templum.* Iterum negamus, modo physico & naturali corpus Christi manducari. Panis manducatur modo physico: at corpus modo hyper physico. Unius enim & indivisæ ejusq; propriè sic dictæ manducationis duplex est modus, sicut unius gestationis, qua *θεογονου* gestavit Maria, unius lotionis in Baptismo, quam efficit unio aquæ cum Spiritu Sancto, unius dationis Spiritus Sancti mediante igne duplex modus apparet. Nec sequitur, impii accipiunt corpus Christi. Non enim ubi Deus est, continuo sequitur, ibi esse Dei templum. Deus omnia replet, & præsens est in omnibus creaturis, At non omnes creaturæ sunt Dei templum. Templum enim non definitur quacunq; præsentia, sed præsentia peculiari, gratiosa, gloriosa. XI. *Christi corpus jam est ubiq;, est ante acceptum panem Eucharisticum in pane ex hypothese ubiquitatis. Ergo frustra instituit Christus sacram Cœnam.* Ubiquitatem illam, quam nobis affingunt Calviniani, detestamur. Divina præsentia qua adest Christus sedens ad dextram Dei universaliter omnibus creaturis, non est opponenda præsentia singulari, eiq; non locali naturali humanæ, non definitivæ aut Angelicæ, sed profus divinæ, qua adest in Cœna. Ratiuncula humanæ nullis subnixæ scripturis, quales Wendenlinianæ

linianæ fuerunt, frustra misteriis opponuntur. Quod de origine calamitatum, quas patitur Ecclesia, garrit Wendelinus, thes. I. §. 2. displosum est. Manducatio sacramentalis quæ formam & ex se contradistincta est bibitioni. Bibitio enim requirit rem liquidam & potulentam tantum, sine additamento rei esculentæ. Et ex hoc fundamento rejicimus abusum vini Eucharistici, quatenus vel panis in illud intinctus exhibetur, vel in vinum panis immittitur, ut cochleari unâ cum vino hauriatur &c.

§. 3. Succedunt argumenta Wendelini pro spirituali manducatione contra manducationem oralem. I. *Corpus in Cœna non editur oraliter.* Falsum id est. Jubemur enim manducare. At omnis manducatio est oralis, sive fit ore. Adeoq; juxta propriam significationem intelligenda est de ore corporis. Loquimur de proprietate Grammaticæ significationis. Quod si esset manducatio intelligenda spiritualis in verbo edite, tum geminum sensum una vox haberet, & inanis esset verborum Christi *πρωτολογία*: Facite hoc, quotiescunq; manducaveritis, in mei commemorationem, hoc est, in mei manducationem, manducate. Æquipollent enim recordari & spiritualiter manducare. II. *Unio nostri cum Christo non est corporalis. Ergo nec manducatio.* Falsum est antecedens; si de substantiali propinquitate carnis Christi accipiatur. Christus enim non tantum quæ Deus, sed & qua homo nobis unitur tum exera Sacramentum, tum in Sacramento. Gratiiosa enim Christi præsentia in cordibus fidelium est *ἀπείθεσμα* officii Christi secundum utramq; naturam. Nec tantum secundum divinitatem sed & secundum humanitatem personaliter est efficax ad operandum fidem per verbum & sacramenta. Deniq; secundum utramq; naturam creditur in Christum. Ergo secundum utramq; in nobis habitat. III. *Fames cibus &c. sunt spirituales, Ergo etiam ipsa manducatio est spiritualis.* Idem argumentum valet contra verbum Dei. Nempe in verbo proponitur cibus spiritualis laborantibus fame spirituali. Et tamen his non obstantibus verbum externo aurium instrumento percipatur. Sic etsi concederemus, in Cœna proponi cibum tantum spirituale, nondum tamen inde sequeretur, hunc cibum non posse instrumento corporis, ore scilicet, percipi. Sed falsum, hunc cibum tantum esse cibum animæ; corporis etiam cibus est, facitq; corpus nostrum beatæ particeps immortalitatis, secundum illud Joh. VI. *Qui carnem*

meam manducaverit, u in me est & ego in ipso, & resuscitabo eum in die novissimo. Et ex hoc Cœnæ fructu Valentinianos redarguit Irenæus lib. 4. cap. 34. & evincit, quia caro Christi, quæ in Cœna comeditur, est vivificatio, etiam comedentis eam corpus fore immortalitatis particeps, nisi ipse manducans hunc impediatur effectum impœnitentia & infidelitate. IV. In prima Cœna non comederunt nisi spiritualiter Christum discipuli. Si enim corporaliter, utiq; trucidassent Christum: Apage has nænias! Responsum est §. præcedenti. V. Qualis est unio membrorum, talis est unio cum Christo. At illa non est nisi spiritualis, unio enim hæc est Catholica respectu omnium fidelium, qui unquam fuerunt, sunt, erunt. Unio membrorum Ecclesiæ inter se & cum Christo fit vel communiter per fidem, vel singulariter, dum unum numero corpus comedunt fideles, & sic unum cum Christo redduntur. Neq; enim tantum participando neq; tantum accipiendo communicamus, sed etiam ita, ut uniamur cum Christo. Sicut enim corpus unitur cum Christo, ita & nos unimur illi per hunc panem, quæ est κοινωνία & communicatio corporis Christi, ut præclare rem, ut solet, explicat Chrysost. in I. Cor. Cap. XI. VI. Antiquitas non agnovit nisi spiritualem. Falsum id est. Nec sequitur; Tertullianus, Basiliius, Macarius, Cyprianus, Augustinus spiritualement manducationem inculcant, & Capernaïsmum damnant. Ergo oralem manducationem rejiciunt unâ cum unione Sacramentali, quæ distincta est ab unione spirituali. Notanter Cyrill. lib. X. in Johan. cap. XIII. inquit: Non negamus, recta nos fide, caritateq; sincera Christo spiritualiter conjungi; sed nullam nobis conjunctionem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idq; à divinis scripturis omnino alienum ducimus. Irenæum modo laudabamus. Is lib. 5. adv. Valent non procul ab initio docet ex corpore & sanguine Christi in Eucharistia mediante verbo unitis cum pane fracto & calice, augeri & consistere carnis nostræ substantiam. Quomodo, inquit, negant carnem esse capacem donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum ejus est. Tertulliani loca adducuntur Th. III. §. 2. Hilarîi lib. VIII. de Trinitate verba sunt: Cur gradum quendam ac ordinem consummandæ unitatis exposuit (Christus) nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, & ille rursus in nobis per Sacramentorum inesse misterium crederetur. Hæc vero vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem (non ergo tantum per Spiritum) Christi.

Christum habemus. Cyrill. Alexandr. in Joh. lib. X. c. 13. *Tam etiam, an fori asis putat ignotam nobis mystica benedictionis virtutem esse, quæ cum in nobis sit, nonne CORPORALITER quoq; facit communicatio corporis Christi Christum in nobis habitare. Unde considerandum est, non habitudine solum, quæ per caritatem intelligitur, Christum esse in nobis, verum etiam participatione NATURALI. Sicut quis liquefactam ceram alii cera liquefactæ ita miscuerit, ut unum quid ex utraq; factum videatur: ita communicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est & nos in ipso.* Chryf in Matth. hom. LI. *Non vestes, non calceamenta, sed seipsum tibi tradit, ut tangas, comedas & in te habeas.* Item: *Non sufficit ipsi hominem fieri, flagellis interim cædi, sed nos secum in unam, ut ita dicam, massam reducit. NEQUE ID FIDE TANTUM, SED REIPSA nos corpus suum efficit.* Grego. Nyss. in Orat. Catechet. cap. 36. & 37. *Quemadmodum parum fermenti totam massam sibi similem reddit, sic & corpus illud, quod à Deo factum est immortale, in nostrum corpus ingrediens totum in se transfert atq; commutat* Cyrill. Hierof. Catech. 4 docet, nos *ἑῷ σώματι* esse atq; divine nature consortes fieri, cum Christi corpus & sanguinem in membra nostra recipimus & sic ipsi concorpores & consanguines reddimur. Damasc. lib. III. de Imag. *Homines, inquit, participant & communicant divinam naturam, quotquot accipiunt sanctum Christi corpus, & bibunt illum sanguinem. Nostra enim natura beneplacito & contactu Dei est facta Angelus major.* Ad hæc rectius intelligenda confer, quæ §. præced. ad object. IV. & supra ad object. II. dicta sunt.

§. 4. Sequuntur argumenta pro manducatione orali, quorum examen aggreditur Wendelinus, & nonnulla excipit, quæ propulsanda sunt & vindicanda. I. Argumentum nostrum est: *Verba edite bibite proprie accipiuntur, ergo proprie editur corpus, proprie bibitur sanguis Christi.* Hæc enim verba non tantum ad panem & vinum, sed & ad corpus & sanguinem referuntur. Excipitur, *ad edere & bibere, si ad panem & vinum referatur, proprie capiendum, si autem ad corpus & sanguinem, improprie.* Voci semel positæ non potest duplex assignari sensus, sicut id contra Pontificios ipsi defendunt Calviniani. Et confundit Wend. diversas propositiones: *Edite, hoc est corpus meum, & hoc facite in mei commemorationem.* Prior ad Sacramenti substantiam requiritur, posterior ad usum, nec tantum ad *ad edere*, verum etiam ad accipere, benedicere.

dicere, imò si Calvinianos audimus, etiam ad $\bar{\alpha}$ frangere. Summa, distinguunt Christus rem faciendam, ab eo, cuius gratia fieri debet. Res facienda est id quod fecit Christus ut benedicens & dans, & quod fecerunt Apostoli ut accipientes. Finis hanc celebrationem consequitur. II. Manducatio fit ad memoriam, Ergo non est spiritualis. Hæc enim non fit ad memoriam, sed est ipsa memoria. Excipitur, *distinguendo manducationem sacramentalem à manducatione spirituali*. Rectè. Additur, *non quævis manducationem corporis Christi in institutione præceptam fieri ad memoriam. Nam & spirituales præcipi in verbis Institutionis*. Negamus, in verbis institutionis, edite, hoc est corpus meum, bibite hoc est sanguis meus, spirituales manducationem & bibitionem mandari. Sed hoc demum fit in clausula: hoc facite in mei commemorationem. Quæ verba ad Institutionis Cœnæ essentiam non pertinent, ut ex Matthæo & Marco, qui hæc omiserunt, liquidum est. Nisi dicere velint adversarii, descriptionem institutæ Cœnæ, prout à Matthæo & Marco facta est, mancam & mutilam esse. III. Manducatio figurata non vivificat, sed vera. Excipitur, *etiam figuratam Joh. VI. esse veram*. Manducatio figurata, hoc est, talis, qui constat figuris & signis, non vivificat in veritate, sed saltem in figura. Id est, non vivificat ex sese & per sese, sicut de figuris veteris Testamenti pronunciat Apostolus Ebr. IX. 9. Manducatio spiritualis fit sine symbolo externo per fidem, improprie quidem, verè tamen. IV. Christus verum suum corpus verè manducandum exhibet, Ergo oraliter. Excipitur, *Vere præsens esse, verè manducandum exhiberi, sed non oraliter, verum per fidem*. Quæ argutia mirabilis est, dicere, corpus Christi verum naturale verè præsens, verè manducandum exhiberi in Cœnâ, & tamen ore non manducari, nec manducari posse, quasi tu dicas, corpus Christi esse præsens in Cœnâ, quod tamen infinitis myriadibus miliarium ab ea abest, & manducari corpus cum tamè nihil præter panem manducetur ore corporis. V. Manducatio panis est *κοινωνία* corporis Christi. Ergo manducatur corpus oraliter. Excipitur, *panem dici κοινωνίας sacramentaliter, quia est signum corporis pro nobis traditi & fide manducandi, Paulinam enunciationem esse improprie*. Concedimus esse improprie locutionem, si Latine efferas, panis est communio corporis Christi. Interim satis propria est locutio, si sic efferas: panis est communicativus corporis Christi,

Christi, hoc est, medium est, per quod & cum quo communicatur corpus Christi. Et sic significanter explicatur atq; ad mentem Pauli. Conf. Hopfneri Isag. part. I. pag. 14. seqq. Dilutum vero est & inefficax dicere, panem esse *σῶμα* corporis, hoc est, esse signum corporis Christi pro nobis traditi & fide manducati. Paulus enim generaliter pronunciat, panem benedictum esse *σῶμα* corporis Christi: at significandi hæc vis non est universalis, sed restricta ad credentes. Sed & in his nulla est vis significandi. Panis non potest significare, corpus Christi pro nobis in mortem traditum. Quid enim hæc traditio ad panem? Nullum hic vestigium ullius significationis in pane occurrit. Neq; panis potest significare, corpus Christi à nobis fide manducati. Hoc enim non ex pane sacramentali, sed ex sensu fidei secundum Calvinianos colligitur. Ubi nullus est fidei sensus, ibi nec significatio panis. Quin &, ubi est fidei sensus, panis illa significatio exular. Solus quippe fidei pietati junctæ sensus ex mente Calvinianorum notificat fidem, unde ex hoc solo fundamento petunt argumenta pro certitudine electionis & salutis, non autem e Sacramentis. Vide Wendel. lib. I. cap. 3. thes. XIX. Conf. Exercit. de Fato Calv. §. 23. 29. VI. Per carnem Christi non tantum animæ nostræ, verum etiam corpori contingit immortalitas beata. Ergo est etiam oraliter manducanda. Excipitur, *etiam per spiritualem manducationem corpori immortalitatem dari: oralem manducationem præcisè id non præstare: ei nullam promissionem factam.* Concedimus, etiam per spiritualem manducationem dari immortalitatem. Concedimus, oralem manducationem sine spiritali non prodesse, sed obesse. Negamus autem orali manducationi fidelium nullam promissionem factam. *Qui enim servat verbum Dei, ad eum tota Trinitas veniet, & mansionem apud eum faciet.* Joh. XIV. 23. Et Verba mandati, accipite, comedite, annexam habent promissionem corporis pro nobis dati &c. Conf. Hopfn. Isag. part. I. pag. 408. VII. Instrumentum manducationis corporis Christi in Cœna est os corporis. Manducatio enim in Cœna non est spiritalis. Tum illud est corpus Christi percipiendi instrumentum, quod etiam incredulis est commune. Deniq; Christus pane dato dicit esse corpus suum neq; jubet aliter edi panem, aliter corpus. Excipitur, *in legitimo Cœnæ usu manducationem corporis Christi omnino esse spiritualem, instrumentum percipiendi corpus Christi etiam esse illud, quod credentibus est proprium, jubere*

E

Chri-

Christum edere panem cum fidei recordatione corporis sui, hoc ergo accipere fide, illum ore, scripturas esse conserendas, ubi non occurrit expressa distinctio. Confunditur substantia Sacramenti cum ejus usu legitimo, ut saepius dictum. Falsum est, aliud esse instrumentum percipiendi corpus Christi in Cœna, quam os corporis. Perceptio fidei extra rationem & essentiam sacramenti est. Falsum est, Christum jubere edi panem cum fidei recordatione corporis sui. Neq; enim Christus jubet edi præcisè panem, sed hoc, quod est corpus Christi. Deinde non dicit, hoc facite, in corporis mei commemorationem, sed in mei commemorationem, hoc est interprete Paulo, in mortis meæ commemorationem. Deniq; non est distingvendum, ubi non distingvit Scriptura. IIX. Si in Sacramento Cœnæ non comeditur oraliter corpus Christi, sequitur eandem esse efficaciam sacramenti paschatos & Cœnæ. Excipitur, eandem esse efficaciam quoad speciem non autem quoad gradus. Imo etiam quoad gradus. Quod non negabit, quisquis consideraverit, Paschatos sacramentum multo evidentius, clarus & efficacius signum continuisse crucifixi corporis Christi, quam panem & vinum. Vid. thes. III. §. 4. IX. Si manducatio in cœna est spiritualis & Metaphorica, etiam corpus est Metaphoricum. Hoc non sequitur, inquit Wendelinus. Transferret ergo. Concedunt Theologi nostri manducationem sacramentalem & spiritualem convenire ratione objecti eatenus, quatenus & spiritualis manducatio occupatur circa ipsum corpus & sanguinem Christi: quantum eatenus sit discrepantia, quatenus insuper totus Christus & deitas ac anima & universa Christi beneficia in spirituali manducatione implicantur. X. Si alia ratione in Cœnæ usu non uniremur cum Christo, quam spiritualiter, frustra est instituta Cœna. Quia etiam sine usu Cœnæ Christo unimur per fidem. Excipitur, unionem, quæ extra Cœnam fit, usu Cœnæ legitimo fieri arctiorem. Quæro, quis sit legitimus Cœnæ usus? Sine dubio erit spiritualis manducatio. Sequitur ergo, manducationem spiritualem spirituali manducatione fieri arctiorem & robustiorem. Quo admissio, nullus Cœnæ usus superest. XI. Unio inter panem & corpus Christi est corporalis. Excipitur, etiam inter corpora, esse posse unionem spiritualem, ut in sanctorum communionem. Sed de hoc dictum §. præced. XII. In Cœna est miraculum, ergo non sufficit participatio spiritualis. Hæc enim est sine miraculo. Excipitur, distingvendo vocem miraculi. Esto. Neq; nostri Theologi statuunt hic esse mira-

miraculum propriè dictum. Vide CL. Hopfn. Isagog. tract. Theor. sect. II. art. I. cap. VII. num. 4. XIII. Indigni sunt rei corporis & sanguinis Domini, Ergo ipsum corpus Christi oraliter edunt & bibunt ejus sanguinem. Excipitur, *hoc non oriri ex orali perceptione, sed ex profanatione symbolorum, veluti læsæ Majestatis reus peragitur, qui diploma regium pedibus conculcat. Unde est, quod dixerit Paulus, eos accipere panem, non corpus. Augustinus Judam dicit accepisse panem Domini, non panem Dominum.* Hæc perperam excipiuntur. Quomodo enim profanari potest id quod non est? quomodo abuti infideles possunt corpore Christi, quod non accipiunt? quasi tu dicas, hominem, cui vini ne guttula quidem aut panis mica suppetit, vino & pane abuti. Violatores insignium Principis non corporis Principis rei dicuntur. Dissimile est exemplum. τὸ ἐνοχῶν appositum delicto sive culpæ, culpam exprimere solet. Reus sanguinis est, qui sanguinem effudit. Deut. XIX. 10. &c. Impenitentes namq; sic dicendi sunt fieri rei corporis & sanguinis Christi, sicut Judas, & milites impenitentes Christum crucifigentes facti sunt rei, qui quidem sanguine Christi respersi sunt, sed nullo cum fructu suo, maximo potius & æterno cum detrimento. Vide, Cypr. serm. §. de laps. Chrysof. hom. 27. & 28. in I. Cor. XI. Theodor. Comm. in. Cor. XI. Nemo unquam dixit eum qui agnum paschalem, aut manna, aut sacrificia, aut panes propositionis indigne manducavit, reum factum corporis & sanguinis Domini. Quanquam enim hæc essent figuræ corporis Christi, tamen quia corpus Christi tunc non erat præsens, nec sub V.T. percipiebatur ore, nemo tantum reatum contraxit. Paulus notanter loquitur non de pane præcise, sed de pane Hoc, qui nempe est *κοινωνία* corporis Christi. Augustini mens clara est ex Tom. VII. lib. 3. cont. Donatist. cap. 14. *Nec interest, cum de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat aut quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum: interest quidem plurimum ad salutis viam: sed ad Sacramenti questionem nihil interest. Fieri potest, ut homo habeat integrum Sacramentum & perversam fidem.* Et Tom. II. Epist. 164. *Tolerat ipse Dominus Judam, Diabolum, furem & venditorem suum; Sinit accipere inter innocentes Apostolos quod fideles nõrunt PRETIUM SUUM.* Vid. Lib. 5. cont. donat. c. 8. & Theodoret. Comment. in I. ad Cor. XI. *Non solum, inquit, Apostolis, sed & Jude proditori pretiosum corpus & sanguinem impertit.* Wendelinus probat infideles non accipere corpus Christi

Christi 1. quia destituti sunt fide 2. nullam habent cum Christo communionem 3. mortui sunt spiritualiter 4. edunt ad iudicium 5. pessime dici impiorum ore impuro accipi corpus Christi. Sed hæc levia sunt. Nec sequitur, non edunt salutariter, Ergo non edunt. Imo edunt, quia non discernunt corpus Domini, non cogitant hic porrigi ipsius Filii DEI sanguinem & carnem sed ut communem cibum & potum sumunt, Vid. Just. Apolog. II. sub fin. & August. Tract. XXVI. in Joh. Flos Patrum sic loquitur, *impios impuris manibus & polluto ore accipere corpus & sanguinem Christi*, Cypr. serm. I. de laps. Orig. hom. II. in Psal. XXXVII. Basil. M. Orat. quod baptizati debent participatione misteriorum nutriri Tom. I. &c. Firma ergo stant argumenta nostra. I. Corpus & sanguis Christi pertinent ad integritatem Sacramenti. Excipitur id verum esse & non esse pro diversa acceptione Sacramenti! *Impios non evacuare Sacramentum in se sed sibi.* Nugæ!! II. Corpus Christi etiam pro infidelibus est in mortem traditum. Excipitur, *falsum id esse de impoenitentibus finaliter, &c.* De meriti Christi & satisfactionis universalitate fuse egimus disp. de Fat. Calv. §. 22. III. In Cæna corpus Christi ore comeditur. Excipitur, *id falsum esse.* Hoc refutatum est §. 3. IV. Panis & corpus Christi sunt suum unione Sacramentali. Excipitur, esse unionem *ἁρμυνη*. Supra illa profligata est. Conf. Hopf. Isagog. part. I. pag. 86. seqq. V. Indigni fiunt participes fracti panis & benedicti, Ergo etiam fiunt participes corporis Christi. Panis enim benedictus est *κοινωνία* corporis Christi. Excipitur, *κοινωνία* idem esse ac signum communionis. Probetur ergo ullibi vel apud sacros vel apud profanos autores *κοινωνία* idem significare ac signum communionis. Sed de his jam dictum est in præcedentibus.

THESIS III.

Corpus & sanguis Christi verè & substantialiter sunt præsentia in sacra Cæna.

§. I.



Uic thesi, quæ fluit ex priori, certatim contradicunt Calviniani. Admonit. Neostad. pag. 47. *Res significatas corpus & sanguinem Christi. non nisi ex manu ipsius Christi, per fidem & Spiritus S. efficaciam in cordibus percipi ait.* Conf. Orthod. statuit p. 112. *non alio modo præsens in Cæna credi posse corpus Christi, nisi quate-*

quatenus vere percipitur ut spiritualis animæ cibus ad vitam. Privatorum
 Doctorum verba nihil attinet huc adducere: est enim res tota mani-
 festa. Wendelinus lib. I. cap. XXIII. thes. XVI. acriter dimicat adver-
 sus corporalem præsentiam corporis & sanguinis Christi in cum & sub
 pane & vino. Cujus hererodoxiam antequam profligemus & ortho-
 doxiam stabiliamus, unum duximus monendum. Cum realiter &
 substantialiter præsens dicimus corpus Christi, nos minimè statuimus
 impanationem, inclusionem corporis Christi, inexistentialitatem & con-
 substantiationem (hi enim omnes modi sunt physici) sed dicimus esse
 præsens modo supernaturali. Quamquam vero Theologi nostri vete-
 res secuti modum aliquem ponere interdum videntur, secundum quem
 præsens sit Christus, non tamen eorum intentio est, hujus misterii mo-
 dum scrutari, sed corporis astruere præsentiam. Sic cum dici solet,
In, cum, sub pane accipi corpus Domini, non est mens nostra modum
 ostendere, sed tantum præsentiam, quæ vix videtur astrui posse, quin
 simul aliquis modus videatur astrui. Absit autem, ut intelligamus ul-
 lum modum corporalem physicum sive localem aut localem inclusio-
 nem sive delitescentiam. Particula cum notat unionem supernatura-
 lem: in, unionem intimam: sub arcanam & incomprehensibilem.

§. 2. Wendelinus operosus & prolixus est in oppugnanda thesi
 nostra. Primo dicit, eam *pugnare cum natura sacramentorum in genere,*
quæ non sunt vasa gratiæ vel rerum signatarum, sed signa & sigilla tantum.
 Sed meminerimus, Sacramentorum generalem naturam esse æstimandam
 & constituendam salva speciali Sacramentorum natura in Scri-
 pturis expressa. Nihil hic fingendum, aut ex cerebro humano in Scri-
 pturas intrudendum. Scriptura nusquam tradidit generalem Sacra-
 menti naturam. Frustra ergo ad hanc provocat Wendelinus. Concede-
 dimus, Sacramenta non esse vasa Physica, quibus insit gratia ad eum
 modum, sicut balsamum est in pýxide. Concedimus esse sigilla, sed ad-
 didimus totum Sacramentum, prout constat materia terrena & cœlestis,
 esse sigillum. Nam res cœlestis est testimonium divinum de facta per
 Christum redemptione I Joh. V. 8. Jungenda ergo hæc est terrena, ut
 sic totum Sacramentum fiat signaculum sive sigillum. Scorsim enim id
 res terrena præstare nequit. Neq; enim externa circumcisio *σφραγίς*:
 illa enim non efficit nisi Judæum *εἰ τῷ Φαρισαῖῳ* Rom. II. 28. Addenda
 ergo virtus divina fundata in promissione fœderali. Neq; Agnus Pas-
 chalis nisi cum respectu ad Christum signaculi vim obtinere potest.

Adeoq; semper hic implicatur res cœlestis. Eadem ratio baptismi, in quo non sola aqua sed cum re cœlesti conjuncta obsignat. Et hæc quidem nos haud inviti concedimus, quæ adversarii salvis suis hypothesebus de absoluta electione & reprobatione asserere nequeunt. *Qvam* enim efficacia moralis, quam unice assignant Sacramentis, minime idonea fit ad obsignandum, evictum dedimus Exerc. de Fat. Calv. §. 29. Augustini definitionem, qua Sacramenta vocat *signa visibilia invisibilis gratiæ*, non arbitramur esse accuratam, eo quod non est ex ipsis internis causis & constitutivis Sacramentorum depromta. Interim facile largimur, totum Sacramentum esse signum gratiæ, negamus autem materiam terrenam esse signum mere significativum materiæ Cœlestis, quanquam fateamur ita esse significativum, ut prius sit exhibitivum, qualia signa olim fuere flamma in rubo ardenti, columba ignis & nubris, species corporalis columbæ, anhelitus Christi discipulos afflantis, ignis Pentecostalis &c. Vide Hôpfn: part. 1 pag. 20. seqq. Dixerat suprâ Wendelinus, *phrasin Sacramentalem esse, qua externis symbolis tribuuntur nomina rerum signatarum, quia significant & obsignant res signatas*. Sed hæc nullo sufficienti exemplo potuit probare. Adde ð obsignare res signatas planè accidentaliter & contingenter secundû Calviniianos competere externis symbolis. Neq; enim reprobis quicquam obsignant. Unde manifestum est, Augustini descriptionem Sacramentorum minime essentialem esse. Hæc enim ex iis constat, quæ necessario & per se insunt. II. *Pugnat cum prima Cœnæ administratione, in qua ipse Christus mensæ assedit, nec potuit esse sub pane, quem frangebatur*. Invertimus argumentum hoc: Si tunc, cum assedit mensæ Christus, non obstante trina dimensione & visibilitate corporis, potuit dicere, accipite edite corpus meum, multo magis id jam præstare poterit, postquam est evehctus ad dextram Dei Patris. III. *Pugnat cum sine instituta Cœnæ, quæ est recordatio. At hæc absentium*. Falsum id est. Recordatio & signa possunt esse rerum præsentium. Arca V. T. erat memoriale Dei præsentis. Circumcisio signum justitiæ præsentis. Columina nubis, rubus ardens, mons fumans signa præsentis Dei. Adde quod in Cœna recordatio fieri jubetur mortis Christi, quæ non jam præsens est sed præterita. IV. *Pugnat cum scopo Christi, qui vult manducari corpus, QUATENUS est crucifixum*. Porro corpus Christi, quod sub pane esse potest, esse invisibile &c. adeoq; non humanum, non ergo pati posse. Lutheranos exhibere corpus glorio-

gloriosum & impatibile. Arqui τὸ quatenus nusquam in Verbis institutio-
 nis comparet. Neq; enim articulum præpositum vel nomini vel ejus
 determinationi licet per quatenus explicare, I. Cor. XV. 37. τὸ σῶμα τὸ
 γενησόμενον, non est corpus quatenus generabitur. Neq; Joh. III. 13. 16.
 ὁ ὢν ἐν τῷ ἔρανό, & ἰδὼν αὐτὴν τὴν μονογενῆ licet per quatenus est in
 cælo, & quatenus est unigenitus explicare. Non ergo articulus præ-
 positivus sumendus distributive pro quatenus, sed definitive pro quod
 ipsum, Eben der Leib/ der für Euch gegeben wird / Vid. Hôpfn. part. I.
 pag. 36. seqq. Sed ponamus τὸ quatenus hic locum obtinere. Seque-
 tur, totum corpus Christi ἀδιασείτως esse in Cæna. Tali enim ratio-
 ne in mortem traditum est. Neq; sequitur, Christus dixit, edite hoc est
 corpus meum pro vobis traditum. Ergo noluit exhibere corpus sub
 respectu miraculosæ conceptionis, unionis cum λόγῳ, unctionis, exi-
 nanitionis, resuscitationis, exaltationis. Quasi hæc inter se pugnent,
 ac non potius amicissime conspirent in eodem corpore, quod edere
 jussimus. De corpore Christi visibili & invisibili antea dictum. Et
 manet corpus Christi visibile (actum primum hæc vox notat) etiamsi
 in Cæna actu secundo non videatur. Fuit patibile actu primo, & pas-
 sum est actu secundo, utut hodie non amplius patiatur vel moriatur.
 Rom. V. 10. V. *Pugnat cum natura veri corporis, quod est visibile, palpa-
 bile, circumscriptum, everti veritatem humani corporis πολυτοπία sive
 multipræsentia.* Mansit & manet Christi corpus visibile & palpabile
 actu primo: Mansit & manet finitum & circumscriptum. Nec ulla in-
 volvitur contradictio; cum dicitur corpus Christi non circumscribi in
 Cæna, & esse præsentia prorsus divina in omnibus locis, ubi sacra Cæna
 secundum institutionem Domini celebratur. Corpus enim est
 substantia: esse quantum, in loco &c. sunt accidentia, quæ sub-
 stantiam salvam relinquunt, sive adsint sive absint. Deinde si Deus
 potuit naturam humanam exuere modo existendi substantiali, ipsa
 natura salva manente quanto minori negotio modus existendi
 accidentalis vel auferri vel suspendi potest? Deniq; non magis
 naturale est corpori esse in loco, quam esse in tempore.
 Quod si ergo posterius abesse à corpore potest, imo in futuro seculo
 aberit, cur non etiam prius. Et quid opponimus ratiunculas fi-
 dei mysteriis, quæ non capimus, prout ipsi fatentur adversarii, qui si
 ad

ad eum modum perexerint misteria exigere ad normam rationis, vice-
rint Sociniani. VI. *Pugnat cum natura gloriosi corporis, quod amplius pa-
ti aut cadi nequit.* De his satisdictum est. VII. *Pugnat cum adscensione
Christi in caelum.* Utrumq; verum est. Et Christus est in Cœna, quia id
dixit, & adscendit in caelum, quia id testatur Scriptura. Neq; gloriosus
Christi ad Judicium reditus pugnat cum ejus adessentia in Cœna. VIII.
*Pugnat cum expressis Scripturae testimoniis, qui dicunt, Christum reliquisse
mundum, non semper esse apud discipulos.* Adde Ebr. IIX. 4. *Si adhuc
in terris esset, sacerdos non esset.* Consentiant Patres ante Consilium Ni-
cenum. Fatemur Christum reliquisse mundum, reliquisse discipulos,
quoad visibilem conversationem, non autem quoad praesentiae guber-
nationem secundum illud: *Ecce sum vobiscum usq; ad consummationem
seculi:* neq; quoad adessentiam in cœna, secundum illud: *Accipite & co-
medite, hoc est corpus meum.* Quod attinet locum ad Ebreos, loquitur
ille de modo praesentiae, secundum quem Levitici Sacerdotes in terra
erant & terrenae conditionis, terrena quoq; sacrificia offerentes. At
talis Christus non est, quippe qui in caelo & in terra sacerdos, qui in-
gressus est caelum per proprium sanguinem, postquam semel se obtulit
DEO Patri victimam inculpatam per Spiritum aeternum. Vide cap.
VII. IIX. IX. ubi habes discrimen Sacerdotis *επιγεινίου* Christi, & Sa-
cerdotum Leviticorum terrenorum. Quod si velimus locum hunc
intelligere de substantiali praesentia, sequetur, Christum quia Deum,
qui caelum & terram substantiali adessentia replet, Sacerdotem non esse,
& quia hominem demum coepisse fieri Sacerdotem, quando terras reli-
quit, nec in novissimo post reditum ad judicium amplius futurum Sa-
cerdotem. Quorum illud Socinianum est, hoc electorum introdu-
ctioni in sancta sanctorum modis maximis repugnat. De Patribus
ante Nicenum Consilium quod addit Wendelinus, videantur nostri
Chemnitius de Fun. Cœn. Gerhardus, Hopfnerus, Dorfscheus aliiq;
Nobis nunc sufficiat unicus Tertullianus, qui contra Marcion. lib. I.
cap. 12. ait. *Postremote tibi circumfer, intus ac foris considera hominem,*
placebit tibi vel hoc opus DEI nostri, quod tuus Dominus ille DEUS melior ad-
amavit, propter quem in hac paupertina elementa de tertio caelo descendere
laboravit cujus causa in hac cellula creatoris etiam crucifixus est. Sed ille
quidem usq; nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit, nec oleum,
quo suos ungit, nec mellis & lactis societatem, qua suos insantat; nec panem,
quo

quo ipsum corpus suum REPRESENTAT, (præsens scilicet: hæc enim vis hujus verbi apud Tertull. con. Marc. cap. 22. lib. de resur. carn. c. 17. &c.) etiam in sacramentis propriis egens mendicantibus creatoris. Et de resur. carn. cap. 8. Adeo caro salutis est cardo, de qua cum anima DEO allegitur, ipsa est, quæ efficit, ut anima allegi possit. Sed & caro abluatur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima DEO consecretur. Caro signatur, ut & anima muniat. Caro manus impositione adumbrat, ut & anima muniat. Caro corpore & sanguine vescitur, ut & anima de DEO sanguinetur.

§. 3. Porro Wendelinus probat præsentiam corporis Christi in cœna esse spiritualem. Rationes sunt hæc. I. *Christus corpore suo in cœna adest non corporaliter, Ergo spiritualiter.* Atqui adest corporaliter (remispectando, non modum) Ergo non spiritualiter. Illud hæctenus est ex verbis institutionis evictum. II. *Qualis unio membrorum, talis est præsentia.* Atqui unio membrorum cum Christo non est nisi spiritualis. Ergo. Negatur Minor. Subordinata non sunt opponenda. Per fidem unimur Christo extra Sacramentum, & in Sacramento eidem unimur tum fide tum perceptione corpore & sanguinis ipsius. Si dicas, tantum fide nos uniri Christo, usum Sacramenti penitus abolebis, neq; relinques veram præsentiam corporis Christi in cœna, quod est contra Calvinianos, docentes corporis Christi veram præsentiam in cœna. Dices cum Wendelino: etiam spiritualem præsentiam esse veram. I. quia effectum parit realem, nempe unionem cum Christo III. per præsentiam spiritualem corpus Christi pro nobis in mortem traditum verè & realiter est præsens nostro spirituali, IV. quia manducatio spiritualis est vera & realis, ergo etiam præsentia. V. sequeretur, præsentiam carnis Christi esse falsam & imaginariam. Respondeo præter spiritualem præsentiam (quam suo modo veram esse concedimus) dari etiam sacramental em præsentiam. Id quod Calviniani haud gravatè admittent. Hoc supposito, nempe, Christi corpus esse in Cœna sacramentaliter præsens, porro infallibiliter & evidenter consequitur, Christi corpus substantialiter in sacra Cœna esse. Est enim hoc corpus Cœnæ pars substantialis, quam si dixeris tantum adesse per modum conceptus objectivi, eo ipso destrues veritatem præsentia in Cœna. Quapropter necessum est, ut cum panesit divina præsentia præsens corpus Christi. Ad illum enim determinatur præsentia corporis Christi sacramentalis. Idem efflagitat unio rei cœlestis & terrena, quæ nãitur vi institutionis & benedictionis divinae

F

divinae

divinæ. Neq; enim fides rem terrenam & cœlestem jungere potest, aut
efficere, ut res absentes realiter & verè sint præsentem. Deniq; sine quo
calix Eucharisticus non est novum Testamentum, illius præsentia sub-
stantialis requiritur in actione Cœnæ. Atqui sine Christi sanguine ca-
lix Eucharisticus non est nec esse potest Novum Testamentum. Ergo
sanguinis Christi substantialis præsentia requiritur in sacra cœna. Sed
videamus, quo pacto Wendelinus respondeat ad rationes nostras, eo
tendentes, ut evincant, adversarios, quicquid protestentur, nullam
agnoscere veram & realem corporis Christi in cœna præsentiam. Ad-
versarii dicunt, tantum distare verum corpus Christi a cœna quantum
distat cœlum à terra. Ergo, veram corporis Christi præsentiam non
agnoscunt. Excipitur, *Spiritualẽ præsentiam non impediri distantia lo-
corum, corporalem præsentiam corporis admitti, sed respectu symbolorum, quia de symbolis sacramentalibus affirmantur ipse res signata.* At quis vi-
det, hanc præsentiam non esse veram præsentiam. Quidquid enim
tantum præsens est in signo, imagine & per modum conceptus obje-
ctivi, illud realiter præsens non est. De Symbolis prædicari signatas
res, dicitur, non probatur, nec unquam idoneis exemplis probabitur,
ut supra dictum. III. Fidei tantum adest, Ergo non realiter. Excipitur,
*fidem non esse meram contemplationem, sed esse ~~substantiam~~ verum que spe-
rantur, & demonstrationem eorum, que non videntur: per fidem Christum
habitare in cordibus nostris: fidem vincere mundum.* Sed quid tum postea.
Fides est rerum quæ sperantur. Ergone res, quæ sperantur, reverà &
realiter sunt præsentem? At sic desinunt sperari. Ergone præsens est
gloria vitæ futuræ? Per fidem Christus habitat in cordibus nostris, sed
quæstio est de corpore Christi. Sicut fides non efficit Christum præ-
sentem substantialiter, qui alias divina sua substantia omnia implet, ita
nec corpus Christi efficit substantialiter in Cœna præsens. Et quæ con-
sequentia? Fides vincit mundum, Ergo potest efficere corpus Christi
præsens in Cœna. Quod si fides potest efficere rem præsentem, se-
queretur esse in Cœna passionem, oblationem & sacrificium formaliter
rale, quod est in cruce peractum. Habent ergo Pontificii, quod vo-
lunt, Summa, fides aut accipitur pro assensu, aut pro fiducia. Neu-
tro modo id quod absens est, potest facere præsens. Non enim va-
let: *res creditur esse præsens, Ergo est præsens.* Quid si furto abla-

ra, te nesciente? Euclio credebat aulam suam præsentem & in eo fi-
 duciam omnem, adeoq; proram & puppim suæ salutis constituebat,
 sed misere frustrabatur. III. Negant adversarii, corpus Christi esse pos-
 se in pluribus locis, negant ergo esse posse in Cœna. Excipitur, *ad-*
esse corpus Christi, præsentia spiritali, ergo verè: sicut sol verè præsens est
mortalibus magno locorum intervallo disculsi. Sed hæc est præsentia vir-
 tualis. Qualem corporis Christi præsentiam agnoscere in Cœna ne-
 queunt adversarii, quippe statuentes nullam virtutem infinitam com-
 municatam esse corpori Christi, quomodo ergo illa sese exferet in infi-
 nitis propè locis, in quibus celebratur Cœna? Interim quod virtute tan-
 tum adesse non supposito, substantialiter non adest Semper con-
 fundunt adversarii præsentiam spiritualem cum Sacramentali. Ad
 illam sufficit præsentia virtualis: ad hanc præterea requiritur præ-
 sentia realis & substantialis vi verborum, *Edite, hoc est corpus meum,*
bibite, hoc est sanguis meus. IV. Corpus Christi non est in Cœna vi-
 sibiliter, vel invisibiliter secundum adversarios, Ergo non verè est
 præsens. Excipitur, *concedendo corpus Christi invisibiliter præsens esse*
in Cœna, sed fidei: & sub symbolis visibiliter, utut aliàs à loco Cœnæ
Dominicæ toto cælo absit. Quæ omnia satis superque sunt discussa.
 Et miramur insolentiam spiritus Calvinistici, de tanto misterio adeo
 audacter & impudenter pronunciantis, & dictantis, corpus Christi
 à loco Cœnæ Dominicæ toto cælo abesse. Quis unquam in Eccle-
 sia prisca talia effutivit? Simplicitas semper placuit & sanctum stu-
 dium misteria mirandi, non rimandi. Quæ causa fuit, cur Catechu-
 meni & infideles hæc arcana celarentur, & cætu fidelium exire jube-
 rentur. *Me tui pudet,* inquit Gregorius Nyssenus Orat. adversus eos,
 qui differunt baptismum, *quodcum consenueris, adhuc ejiciaris cum*
Catechumenis, tanquam inspiens puellus & qui arcana non possit celare,
cum dicendum sit misterium. Unire populo Christiano, & ARCANOS
disce sermones. Utinam in hac simplicitate Ecclesia persistisset, nec
 per Iconomachos in oriente seculo IIX. contendentes nullum aliud
 signum in Ecclesia institutum, quam signum corporis & sanguinis
 Christi, (quos seculo IX. in Occidente secuti sunt Johannes Scotus &
 Bertramus, Presbyter Corbeiensis in Gallia & seculo X. Berengarius
 quibus se transubstantiatores opposuerunt) primum ea turbata.

& mirum in modum contaminata fuisset ! V. Absurdum est secun-
 dum Calvinianos rei præsentis adventum expectare, Ergo corpus Chri-
 sti secundum eos non est verè præsens. Excipitur, *rei spiritus-*
liter præsentis adventum corporalem expectare, absurdum non esse. Et
 hoc est quod volumus. Calvinianos statuerè, corpus Christi tantum
 spiritali præsentia adesse in Cœna. Non ergo reali, sacramentali &
 substantiali. VI. Nos non sumus in loco ubi nunc est caro Christi,
 Ergo non est ea realiter in Cœna. Excipitur, *Distantiam loci non omnem*
tollere præsentiam. Fatemur, non tollit præsentiam intentionalem,
 objectivam & imaginariam. Tollit tamen præsentiam realem. Quis
 enim dixerit, amicum ab altero amico mille miliaribus disclusum,
 deque eo cogitantem, realiter ipsi præsentem esse ? Qui ipsos intel-
 ligit terminos, hæc sufficienter dijudicabit. VII. Verè absens est cor-
 pus Christi secundum adversarios, Ergo non est verè præsens. Excipitur,
diversitatem esse præsentia & absentia. Verum id est. Interim,
 quicquid realiter præsens est, illud realiter non potest esse absens.
 VIII. Caro Christi nobis non alia ratione præsens est, ac fuit Veteribus
 in Veteri Testamento, secundum Calvinianos, Ergo nobis non est re-
 aliter præsens. Excipitur, *fidem posse aliquo modo sistere præsentia.*
 Rectè: aliquo modo. Non ergo absolute. Fides sinit præsentia, dum
 apprehendit futura tam firmiter, quasi essent præsentia, sed realiter
 præsentia efficere nequit. Verum est & immotum, à fidelibus V. T.
 carnem Christi non esse manducatum ad illum modum, quem præ-
 scribunt verba institutionis Cœnæ. Nec minus verum est, Veteris
 Testamenti fideles non habuisse corpus Christi, puta realiter exhibi-
 tum, sed habuisse figuras & umbras corporis exhibendi. Quod qui
 negat, articulum fidei secundum de nato Filio DEI tempore Augusti,
 & passo sub Pontio Pilato, negat.

§. 4. Deinceps aggreditur Wendelinus argumenta nostra, quibus
 probamus corporalem præsentiam, hoc est, præsentiam corporis Chri-
 sti in Cœna adeoq; in, cum & sub pane. I. Dixit Christus panem por-
 rigens. Hoc est corpus meum E. in pane & cum pane præsens est cor-
 pus Christi. Excipitur, non sequi hanc interpretationem, & conclu-
 sionem. Sequitur firmissimè, sicut constat ex dictis ad thesin primam
 §. 5. seqq. Neq; obstant verba: *hoc poculum est N. T.* Sed firmant inter-
 pretationem nostram. Jubentur enim discipuli haurire è poculo id
 quod


quod est Novum Testamentum, sive novi Testamenti causa. Non
 autem vinum, non figura sanguinis absentis est causa & fundamentum
 Novi Testamenti, sed ipse presentissimus sanguis Christi. II. Christus
 potest facere, ut corpus suum sit in pane corporaliter Ergo id facit.
 Excipitur, à posse ad esse non valere consequentiam, Quia antecedens esse
 falsum, quia multas implicat contradictiones. Non ita solemus argumen-
 tari pro ipsa presentia, sed pro possibilitate presentiae. Argumentum
 nostrum hoc est: Id quod in sacra Cœna exhibetur ore corporis man-
 ducandum, quodq; à communicantibus accipitur & comeditur, est
 realiter & substantialiter presens in Cœna. Atqui corpus Christi à
 communicantibus accipitur & editur. Ergo: Minor probatur: de quo
 Christus dicit, Hoc est corpus meum, illud est corpus Christi. Atqui
 de illo, quod exhibetur, dicit Christus, hoc est corpus meum.
 Ergo, est corpus Christi. Item, sine quo calix non est
 Novum Testamentum, illius presentia substantialis requiritur. Atqui
 sine Christi sanguine &c. Si jam quæras, quâ ratione id fieri possit, re-
 spondemus, id fieri posse, quia Filius Dei est omnipotens. De contra-
 dictione quod inijcitur, §. 2. excussum est. *Nos nunquam in tam magnis
 & sublimibus rebus illud Quomodo aut cogitemus aut proferamus: Judaicum
 enim hoc verbum est extremi supplicii causa* Cyrill. Alex. lib. 4. in cap. 6.
 Joh. III. Christus vult facere, ut corpus sit in pane. Ergo id facit.
 Excipitur, Christum non dixisse, in hoc est corpus meum. Dent ergo ad-
 versarii idoneam aliquam interpretationem enunciationis exhibitivæ,
 eantq; probent sufficienter, sicut nostram stabilivimus th. I. §. 5.
 seqq. Nos ex verbis $\tau\acute{\epsilon}\tau\theta\ \epsilon\sigma\tau\ \tau\acute{o}\ \sigma\acute{\omega}\mu\acute{\alpha}\ \mu\epsilon\upsilon$ colligimus evidenter præ-
 sentiam corporis Christi cum pane. Illud namq; intelligitur per $\tau\acute{\epsilon}\tau\theta$,
 quod in V. T. intelligebatur per $\tau\acute{\iota}$ Ecce Exod. XXIV. Atqui $\tau\acute{\iota}$ Ecce
 ibi erat demonstrativum rei coram & substantialiter presentis, sangui-
 nis scilicet, sine figura & tropo. Ergo & $\tau\acute{\epsilon}\tau\theta$ est demonstrativum
 corporis substantialiter presentis sine figura & tropo. Major fundata
 est in Paulo Ebr. X. 20. IX. Christi corpus est ubiq; Ergo etiam est in
 Cœna. Excipitur hanc collectionem vitiosam esse. Concedimus, nec me-
 minimus, nostros sic argumentari. Fundamentum presentiae corporis
 Christi sunt verba institutionis, non autem portentosa illa ubiquitous
 quam nobis affingunt Calviniani. Abeat illa in Morboniam cum omni-
 bus somniis petulantis rationis. V. Si Christi corpus non est sub

panē, nec sanguis sub vino, utiq; vacua relinquentur signa. Excipitur
eatenus vacua esse, quatenus corporaliter res signatas non continent, sicut ta-
bulae testamentarie, verbum Dei & sacramenta V. T. vacua dici possunt si-
gna &c. Male facit Wendelinus, quod contumeliam Sacramento
Coenae illatam vult palliare & excusare collatione tabularum testamen-
tariarum, Verbi & sacramentorum Veteris Testamenti. Concedimus
inter verbum & tabulas testamentarias similitudinem esse. At alia ratio
est Sacramentorum. Neq; possunt Sacramenta veteris Testamenti,
in quo dominatae sunt umbræ præjudicare Novo Testamento, cujus
causa est corpus ipsum planè exclusis profligatis & deletis umbris,
Nobis religiosè premuntur verba Institutionis, *Edite, hoc est corpus me-
um, bibite, Hoc est sanguis meus*, quæ non vacua signa, sed res ipsas signa-
tas & expressas repræsentant. Verbum Dei non est nudum & vacuum
signum, sed est ministerium Spiritus, semper conjunctam habens gra-
tiam & efficaciam Spiritus Sancti. Atque ut hæc indivulso nexu cohæ-
rent, sic indivulso nexu copulata sunt symbola Sacramentalia cum cor-
pore & sanguine Christi. Estq; adeo temeraria & impia assertio, tanto
intervallo abesse à sacra Coenae corpus & sanguinem Christi, quanto
abest summum coelum ab infima terra. Quæ assertio nil nisi vacua
symbola relinquit. Non enim est, quod à cerebro humano hoc vacuum
repleatur. VI. Si in poculo esset nudum vinum, non posset dici esse
Novum Testamentum. Excipitur, esse phrasin sacramentalem, qua signis
tribuuntur nomina rerum signatarum: Probetur ergo hæc phrasis Sacra-
mentalis & ostendatur solidum ejus fundamentum. Quod tamen ha-
stenus nec in scriptura nec alibi reperire licuit. VII. Si Christi corpus
non esset unitum pani, nisi unione *ἁπλοῦς*, sequeretur panem eadem
ratione esse Sacramentum, qua olim Pascha. At hoc falsum: quia sic
non esset sacramentum Novi Testamenti. Excipitur, posse eandem ra-
tionem esse panis & agni paschalis, ut nihilominus Eucharistia sit sacramen-
tum novi & agnus paschalis sacramentum Veteris Testamenti. Omnium
enim sacramentorum eandem esse rationem in significanda exhibenda &
obsignanda re significata cum omnibus beneficiis, & in hoc puncto convenire
sacramenta Novi & Veteris Testamenti. Quæstio hic illa tangitur, quæ
ita solet formari: an Vetus Testamentum idem sit substantia cum Novo.
Ubi notandum, voces Veteris Testamenti proprie & phrasi scripturæ
signa-

significare illud foedus, quod Deus cum Israelitis pepigit per Moſem in monte Sinai adhibito pecudum ſanguine, pariens ſervitutem Deut. IV. 13. V. 2. IX. 9. Exod. XXIV. 21. Hoc ſenſu ſi ſumatur Teſtamentum ſive foedus vetus, negare non poſſunt Calviniani, Novum & Vetus Teſtamentum diſferre ſubſtantia. At confundunt nonnulli Vetus Teſtamentum cum foedere gratioſo, quod cum Patribus V. T. inivit Deus & variis circumſtantiis pædagogicis veſtivit. Vide Leidenſes Diſp. XXIII. 12. 13. Conf. Höpfn. patt. I. pag. 45. 48. ſeqq. Non autem hic quæritur, an foedus hoc gratioſum vetus fundetur in Chriſto, ſed an eodem modo fundetur, quo Novum. Nos dicimus, tantam eſſe differentiã inter foedus gratioſum cum patribus initum & Novum Teſtamentum, quãta eſt inter promiſſionem & promiſſi exhibitionem, inter ſignificationem & præbitionem, inter figuram & corpus, inter imaginem & rem imagine adumbratam. Wendel. cap. XXI theſ. IIX. vult probare veteres eandem nobiſcum ſpiritualem eſcam ediſſe ex I. Cor. XI. 2. 3. Sed hic manifeſta eſt depravatio textus Paulini: in Paulo enim **NOBISCUM** non extat. Cum autem dicit, *veteres ediſſe ſacramentale ſymbolum carnis Chriſti*, principium petit: neq; enim Manna, quod ederunt, nec aqua de petra Sacramentum fuit, niſi velimus numerum Sacramentorum V. T. multiplicare. Interim concedimus, Manna figuraffe carnem Chriſti, & aquam de petra ejus ſanguinem, iterum agnum paſchalem ſacramentale ſymbolum fuiſſe corporis Chriſti, ſed negamus, Patres V. T. ediſſe carnem Chriſti ore corporis ſicut fit in novo. IIX. Si panis, quã ſignum eſt, eſt ſacramentum, ſequitur agnum paſchalem evidentius eſſe Sacramentum, quia major eſt ſimilitudo inter agnum habentem carnem & ſanguinem & Chriſtum, quam inter panem & Chriſtum. Excipitur, *majorẽ eſſe ſimilitudinem inter panem & corpus, in efficaciã nutriendi z. ex vi verborum Inſtitutionis*. At major erat efficaciã nutriendi in parte agni manducata, quam eſt in buccella aliqua panis. Deinde verbum non poteſt evidentius reddere ſacramentum, quin potius ſacramentum eſt evidentius verbo, ut ſolent ea, quæ videntur, altius animum penetrare, quam quæ audiuntur, quæ ſunt verba Wendelini cap. XX. theſ. XI. Manet ergo, agnum paſchalem conſtantiã carne & ſanguine mactatum, aſſatum, comeſtum longè evidentiorẽ & ſignificantiorẽ fuiſſe figuram, quam eſt panis, adeoq; evidẽtiores


iores fuisse V. T. Umbras, quam est lux Novi, quod absurdum. IX. sanguis Christi in terra testatur I. Joh. V. 6. Ergo ibi est praesens. Excipitur, *sanguinem Christi non esse explicandum de sanguine, sed de effectu sanguinis fusi, nimirum expiatione.* At confunditur effectum cum causa, confunduntur tres testes distincti vers. 8 cum expiatione, quae numerum ternarium non admittit. Nos simpliciter per sanguinem intelligimus sanguinem, non expiationem, non vinum in Coena: hujus enim apud Johannem nulla fit mentio. X. Panis est *κείνωια* corporis Christi. Ergo corpus Christi est cum pane praesens. Excipitur, *(intelligenda κείνωια spiritalis, quae fit fide.* Sed immota) adhuc perstant in contrarium argumenta, quae tentat quidem Wendelinus, sed refutare non potest. Ea haec sunt: *κείνωια*, de qua Paulus loquitur I. Cor. X. 16. habet diversos actus edendi & bibendi, quos spiritualis non habet: est inter panem & corpus, non vero inter fidelem & Christum: quin est communis fidelibus & infidelibus.





quod est Novum Testamentum, five novi
autem vinum, non figura sanguinis absentis est
Novi Testamenti, sed ipse presentissimus sang
potest facere, ut corpus suum sit in pane co
Excipitur, à posse ad esse non valere consequentia
falsum, quia multas implicat contradictiones. Nov
tari pro ipsa presentia, sed pro possibilitate pr
nostrum hoc est. Id quod in sacra Cœna exhibe
ducandum, quodq; à communicantibus accip
realiter & substantialiter presens in Cœna. A
communicantibus accipitur & editur. Ergo: N
Christus dicit, Hoc est corpus meum, illud est
de illo, quod exhibetur, dicit Christus, hoc
Ergo, est corpus Christi. Item, sine
Novum Testamentum, illius presentia substant
sine Christi sanguine &c. Si jam quæras, quâ r
spondemus, id fieri posse, quia Filius Dei est ont
dictione quod injicitur, §. 2. excussum est. Nos
& sublimibus rebus illud Quomodo aut cogitemus at
enim hoc verbum est extremi supplicii causa Cyril
Johan. III. Christus vult facere, ut corpus sit
Excipitur, Christum non dixisse, in hoc est corpus
vexarii idoneam aliquam interpretationem em
eamq; probent sufficienter, sicut nostram sta
seqq. Nos ex verbis τὸ ἐστὶν τὸ σῶμα μου colli
sentiam corporis Christi cum pane. Illud namq
quod in V. T. intelligebatur per τὸ Ecce Exod.
diberat demonstrativum rei coram & substanti
nis scilicet, sine figura & tropo. Ergo & τὸ τῆς
corporis substantialiter presentis sine figura &
est in Paulo Ebr. X. 20. IX. Christi corpus est ut
Cœna. Excipitur hanc collectionem vitiosam esse.
minimus, nostros sic argumentari. Fundamentu
Christi sunt verba institutionis, non autem po
quam nobis affingunt Calviniani. Abeat illa inM
bus formis perulantis rationis. V. Si Christ

13



fa. Non
mentum
Christus
id facit.
dens esse
gumen-
mentum
is man-
itur, est
Christi à
: de quo
. Atquã
neum,
non est
r. Atquã
offit, re-
contra-
i magnis
udaicum
cap. 6.
id facit.
ergo ad-
bitiva,
I. 5. 5.
er præ-
r τῆς
τὸ Ecce
sangui-
tivum
fundata
a est in
hec me-
orporis
diquitas
a omni-
est sub
pano